

Ex libris Ludov. Choulant.
Dresdae 1841.

Aus E. G. Kühn's Auction in Leipzig
N. 1489.



GEORGII HIERONYMI VELSCHII
Dissertatio
Medico-Philosophica
de
ÆGAGROPILIS.
Cui
Secunda hac editione emendatiori, auctarij vice
altera accedit.
CIↃ IↃC LXIIX.

AUGUSTÆ VINDELICORUM
Impensis Jo. Wehe Bibliopolæ.
Typis Jacobj Koppmajerj et heredum
Jo. Prætorij.

GEORGII HIERONYMI VELSCHII,


Dissertatio

Medico Philosophica prior


DE

ÆGAGROPILIS.

Secundis curis emendatior.



L. S. B.



Vm dissertationem istam olim exire paterer, mole exiguam, rerumq́ pondere tantam futuram, quantam judicio Tuo, L. B. voluisses, cur tamen nullius nomen inscriptum præferret, causas, ut puto, satis æquas edixi. Nimirum, pusillæ scriptionis conscius, iniquum existimabam magnorum nominum benevolentiam advocare, quæ haut dispari adfectu obstrictum dudum tenuêre, aut tenent. Istorum ergò numero, cùm duos interea fatorum asperitas mihi eripuerit, qui meum obsequium hac in re primi desiderârunt, & benignissimè postea exceperunt; non placuit certe alia facie, una cum altera, in lucem reducere, quàm, ut in veteri proposito persistens, nunc quoq; utramque omnibus inscriberem, qui Musas politiores severioribus Studiis & negotiis felicius conjungunt. A Tua iccircò humanitate æquiorem interpretationem, aut saltem veniam sperare pergo, ut ad majora, cum Deo proferenda, incitamentum habeam, quod tùm quoque optabam. Vale, & offerenti fave.

SE-

SENECA

Lib. VII. quæst. Natural. c. XXXI.

Multa hoc primum cognovimus sæculo, & multa venientis ævi populus ignota nobis sciet.





ÆPiùs jam ab amicis, virisque magni nominis, in variis corporum adfectibus rogati, an in curatione aliquis usus esse posset pilarum, quæ in ventriculis caprarum alpestrium reperiuntur? quid nobis videretur, ex tempore respondimus. Uberiorem autem dissertationem, si otium deliberationi concedatur, promisimus non aliam ob causam, quam quod nonnulli pariter consulti alto supercilio omnia despexissent, & cæteri, nî pauciora, quam forte oportebat, at saltem minora quærentium exspectatione retulissent. Sed postquam cogitandi copiam curarum remissio fecit, parum profecto abfuit, quin nos promissi tam festinati poeniteret. Nec enim in Medicorum Philosophorumque antiquiorum scriptis quidquam præsidii occurrebat, nec apud recentiores, eosque Germanos oppido paucos, præter nomen vernaculum & incertissimas conjecturas, aliud memoratu dignum invenias. Ipsa etiam pilarum raritas, quæ medicamentum Principibus fere, & locupletioribus, tantum parabile constituit, hactenus fecisse visa est,

 quo

quo minus illarum vires eximiæ à vulgo noſci poſ-
ſent, certe ut à nullo literarum monumentis pro-
derentur. Ut jam tenuitatem ingenii excuſare o-
mittamus, quod ipſi ſentimus, quam ſit exiguum,
nunquam inficias ituri, nos præter diſcendi ſum-
mum deſiderium,& laborem fortaſſe non medio-
crem, ad linguarum & artium ſtudia nihil attu-
liſſe. At vero cum hæc ipſa omnia, apud æquos
rerum æſtimatores faciliorem veniam impetrare
poſſe crederemus, mox animum reſumere, & a-
micorum benevolentia firmare coepimus, quam
obſequentibus paratiſſimam, etiam cum errarent,
non poteramus ignorare. Rem igitur aggreſſi,
in qua nemo rite præluxiſſet, ipſam pilarum ge-
nerationem examinare conſtituimus, ex illa,
quantum licuerit, vires poſtea indagaturi, addi-
turique omnia, quæcunq; aut fida aliorum rela-
tione accepimus, aut ipſi experti ſumus.

A nomine igitur initium ducendum eſt. Æga-
gropilos appellabimus, Græca, ſed ante nos ne-
mini uſurpata voce, quandoquidem ubi rem ip-
ſam veteribus ignotam, aut ſaltem præteritam
fuiſſe conſtat, non tantum licet, ſed etiam neceſ-
ſe eſt ὀνοματοποιεῖν, ut Ariſtoteles Categor. cap. V. te-
ſtatur. Αἰγάγροι autem Oppiano lib. II. Cyneget.
verſ. CCCXXXIIX. Rupicapræ ſunt, ſeu capræ
ſilve-

ſilveſtres, aut capreæ Martialis lib. XIII. epigram. XCIX. de quibus Virgilius IV. Æneid.

Feræ ſaxis dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis.

Sic enim cum viro doctiſſimo, Conrado Rittershuſio, apud Oppianum legimus, ad fidem M. S. optimi, quod Cardinalis Beſſarionis erat, nunc Venetiis in Bibliotheca S. Marci ſervatur, à Conrado Geſnero jam olim inſpecti, non ἄγαγροι, ut quidam ediderunt. Unde Heſychius quoque αἴγαγροι αἶγα ἄγριον, optime exponit. πῖλος, ὁ, non tantum pila eſt, Suidæ in Lexico, generalius dicta, ſed ſigillatim quoq; in plantarum familia, σφαιρίον redditur à Theophraſto lib. III. hiſtor. plant. cap. IIX. cujus diverſa genera enumerantur, ἐριώδες, κόμιον ἔχον, κοιλόμισχον, φυλλικὸν συμπεπλημένον, & ὑδαλῶδες, vertente Theodoro Gaza, *lanaceum, comigerum, concavoſeßile, e foliis convolutum, & aquoſum.* Plinius lib. XVI. cap. VI. omnia complectens *pilulis* interpretatur. Vulgatiſſimâ ſanè opinione has quoque pilas rupicapræ ex plantis quibusdam commanſis & in ventriculo convolutis generant, de quibus poſtea diſpiciemus. Nec præter rem fuerrit addidiſſe, quod Iſaacus Caſaubonus ad verſum Eubuli Comici.

πιλῶν τε πολλὰς πλεκτάνας ἐπιστρεφῶς.

apud Athenæum lib. II. Dipnoſoph. cap. XXIV. animadvertit. πλοῦν, inquiens, *aut* πλεῖν, *ut alibi ſcribitur, proedere uſurpavit iſto verſu. Nam mandendo cogitur cibus, neque inepte, quod manſum eſt,* πίλημα *dixeris.* Ita ut noſtra hac nomenclatura naturam illarum ſatis exprimi credamus. Quamvis enim vulgarium pleriſque in ore frequentiſſimum feratur, eſſe hoc *bezoar* ut vocant, *Germanicum*, virium tamen reſpectu id tantum dici, notiſſimum putamus, non ipſius ſubſtantiæ, quæ multum diſtat à lapidum natura. Nec vero ſatis eſt, *Badzabard* (ſic enim Perſæ Arabeſque vocant) in plagis Orientalibus, & novo quoque orbe, cui ab Americo Veſpuccio nomen datum, in animalium corporibus gigni, quæ capris aus hircis ſilveſtribus ſint ſimilia, paſtu radicum, quas Hiſpani & Luſitani *Contrayerva* appellant, aliarumque alpeſtrium plantarum, quarum aut nondum tentata, aut incerta exploratio fuit, cum neque gravitas ponderantibus, neque tangentibus ſoliditas, neque durities tundentibus eadem deprehendatur. Ut tamen ipſa illa vox generalis, ſæpe quodconque alexipharmacum, non tantum noſtrorum hominum, ſed antiquiſſima Orientalium conſuetudine notare ſolet, ita moroſe non repugnabimus, ſi cui lapidis quoque ſignificatu ad Ægagropilos

abuti

abuti placuerit, quod olim Gesnerus fecit tr. de fossil. f. 158. eumque sepuuti Nicolaus Agerius Med. Argentinensis apud Gasparem Bauhinum tr. de lap. Bez. cap. XIII. Fabis Columna part. II. min. cognit. stirp. cap. XIX. & Jo. Schroederus lib. V. Pharm. Med. Chem. class. I. num. X. Licentius quidem, minusque accurate, cum vulgus quoque Germanorum, vernacula sua, non lapidem, Gemsenstein/ sed globum seu pilam, Gemsenkugel/ appellet, quod tamen aliorum exemplis pluribus utcunque excusari queat. Lapides certe osseos, seu ossa lapidea non tantum in terra Natura meditata est, docente, post Plinium Julio Scaligero Exerc. CXXXV. sed multa quoque animalium ossicula lapidum nomine veniunt in officinis Medicorum. Tales ex piscium familia percæ suppeditant, & cyprini, indocta lacustrium confusione carpiones dicti, necnon mustelæ fluviatiles, quos contra ardorem ventriculi, ita, ut cutem tangant, anulis insertos, nonnulli digitis auricularibus circumferunt, nos certiori experimento epilepsiam in pueris mitigâsse novimus. Sed & qui vulgo è boum vesicula fellea habentur lapides, bilis potius quædam concrementa videntur, cum totos friabiles se offerant quemadmodum quos histrices Malaccenses, aprique Indici progignunt,


 molles

molles & pingues tactu, ſaponis Hiſpanici in modum, narrat Jacobus Bontius not. in Garc. ab Hort. c. XLVI. Imo quos Plinius lib. XI. cap. XXXVII. in juvencarum ſecundo ventre reperiri ſcribit, pilæ rotunditate, nigricantes tophi, nullo pondere, & ſingulare, ut putant, remedium, ægrè parientibus, Cardano rectiſſime monente lib. VII. ſubtil. non tamen ſunt lapides, ſed aliquid ſimile, quod ipſi à figura, *Ovum bovis*, appellare placuit, quodque profecto nec adeo ridiculum eſt, ac Ulyſſes Aldrovandus credebat lib. I. de quadruped. biſulc. cap. I. nec ulla Scaligeri cenſura, ut putabat, dignum, ut quem contentionis ſtudio ſæpiſſime longius abreptum, multa cæteroquin præter æquum meritumque viri reprehendiſſe, doctiores jam dudum adverterunt.

His autem ſimillimi ſunt Ægagropili noſtri, præterquam quod rotundiores, neq; ex pilis, ſed alia materia coacti conſpiciantur Quamquam nos quopue aliquot minores & latiuſculos habeamus. in quibus nullum pilorum veſtigium comparet quorum nec ideo fortaſſe, niſi in ſpeciem, Cardanus meminit, ciborum tantum excrementa cauſam producens. Hos lanij noſtrates frequenter ventriculis exemptos, colore ex albo ad flavum vergente, non rufo, nec

nigro,

I.




II.



III.



IV.



I. Ægagropilus omnium maximus, fuscj coloris, aut ex rufo obscurj, pendens ʒv. ℈ij.

II. Alius, cinericij coloris, figuram cordis aut eti„am renum quodammodo exprimens, geminum cor„ticem tanquam inferiorj superiorem inductum re„præsentans, pondere ʒij. ℈ij.

III. Tertius, nigrj coloris, cute rugosâ, splendente, ponde„re ʒj.

IV. Quartus, omnium elegan„tissimus et rarissimus, fi„gurâ perfectè globosû, cor„tice duro, et quasi ligneo, co„loris ex luteo subrufi, punctis plurimis distinctus, in quo per foramen excisum inclusæ fibræ conspiciuntur, et cortices crassities ob„servarj potest.

H.C.B.f.

nigro, divendere solent, nec leves omnio, nec adeo duros, quin locis humentibus repositos vermiculi ingenerati strenuè coeperint arrodere, patriâ linguâ, Ochsenmutter/ vocatos, ac si matricem boum dixeris, obscura, ut videtur, ratione, nisi quod illis forte similes credantur, quos Plinius jam olim lib. XXIIX. cap. XIX. in utero vaccarum à se commemoratos pumices narraverat, quod tamen lib. IIX. cap. XLV. factum negabat vir doctissimus, Jacobus Dalechampius in notis. Seu lapides igitur cum aliis, seu Ægagropilos nobiscum appellare lubeat, oblongâ frequentius, & rarius rotunda figura nasci planum est, pondere, etiam cum maximi habentur, levissimo, ex triplici substantia compositi, quarum interior gemina, aut fibras radicum, aut filamenta & cauliculos plantarum succo concreto, & exsiccatione in pulverem subtilem facessente, compacta refert, exterior coriaceam cutem, interdum tamen lignosum corticem quendam, rarissime crustam lapideam æmulatur, coloris ut plurimum aut cinericii, aut nigri, aut etiam ex luteo obscuri, & magnitudinius variæ, quæ manum in pugnum contractam vix unquam excedat, quemamodum ex iconibus apparet, quas hîc insigniores adjicere operæ pretium judicavimus,

post-

postquam figuras à Bauhino adlatas tam rudes deprehendissemus, ut nihil pinxisse satius fuerit. Ex quibus eadem operâ disci poterit, quam procul à vero recedat Jo. Schroederi sententia vel maximos Ægagropilos ad nucis tantum juglandis magnitudinem comminiscentis, cum nobis hactenus vix ullum videre licuerit, qui istam manifeste non superarit, aut saltem exæquàrit. Nec alio, præter quam in ventriculis, loco obvii, ut etiam hac ratione à Badzahardicis lapidibus differant, quos variis in partibus gigni ex variorum relatinibus, quamvis incertis, collegit Jo. Bapt. Silvaticús part II. tr. de lap. Bez. p. 82. ita ut in vesicula fellis etiam visos memoret R. Moyses Maimonides Ægyptius tractt. I. de venen. cap. I. ut hunc adducit Santes Ardoynus lib. V. centonis sui de venenis cap. III. An verò peculiari membrana seu folliculo conclusi ventriculo adhæreant? quod & de Peruanis Badzahardicis Petrus ab Osma in epist. ad Nicol. Monard. cap. LXXV. & de Orientalibus quoq; alius expertus apud eundem cap. XXXIV. testatur, nec dicere in universum possumus, nec multum referre existimamus. Certius, nostroque instituto propius accedit, Ægagropilos in primo tantum aut secuodo ventriculi loculo reperiri, quem venatoribus *capsulam* aut *bursulam*

ſulam dici commemorat vir nobiliſſimus Hieronymus Auguſtus Jungius apud Cl. Bauhinum tr. de lap. Bez. cap. XIII. Nam utrumque in ſe mutuo pervium Anatomes ignari, unum exiſtimant, non ſecus ac tertium quarto accenſent.

Eſt enim cornigeris & ruminantibus animalibus quadrifidus ventriculus docente Ariſtotele, quo nemo majorem talia diſcendi occaſionem habuit, Alexandro Magno feras omnis omnino generis præceptori liberaliſſime ſufficiente, ne quis cum Ulpiano Tyrio Dipnoſophiſta apud Athenæum lib. IIX. cap. XII. curam ejus & diligentiam portentoſam cavilletur. Hujus autem de κερατοφόροις, quæ non ἀμφώδοντα, clariſſima verba ſunt lib. III. de part. animal. cap. XIX. ad ſcribi digna: τούτων δὲ ἕκαστον πλείους ἔχει κοιλίας. οἷον πρόβατον, αἴξ, βοῦς, ἔλαφος, καὶ ἄλλα τὰ τοιαῦτα τῶν ζώων. ὅπως ἐπειδὰ τῆς ἐργασίας ἐλλείπει περὶ τὴν τροφὴν ἡ λειτουργία ἡ τοῦ στόματος, διὰ τὴν ἔνδειαν τῶν ὀδόντων, ἡ τῶν κοιλιῶν ἑτέρα πρὸς ἑτέρας δεχομένη τὴν τροφὴν, ἡ μὲν ἀκατέργαστον, ἡ δὲ κατειργασμένην μᾶλλον, ἡ δὲ πάμπαν, ἡ δὲ λίαν. διὸ τὰ τοιαῦτα τῶν ζώων πλείους ἔχει τόπους καὶ μόρια. καλοῦνται δὲ ταῦτα κοιλία, καὶ κεκρύφαλος, καὶ ἐχῖνος, καὶ ἤνυστρον. h. e. *Habent hæc ſingula* (cornigera ex altera tantum parte dentata) *plures ventres, ut ovis, capra, bos, cervus, & ſimilia, ut cum officium oris non ſatis in molendo cibo adhibetur, propter inopiam dentium, munus ventrium expleat, dum alius ab alio cibum recipit, ſcilicet primus nondum confe-*

 ctum,


ctum, secundus aliquantulum confectum, tertius plenius, quartus perquam plene confectum. Ita fit, ut hoc genus animalium receptacula cibi habeat plura, quibus nomina hæc indita sunt (fingente scilicet Latina hæc Theodoro Gaza) *venter, araneum seu reticulum, omasum, & abomasum.* Sive ut M. Aurelio Severino port. IV, Zootomiæ Democrit. p. 303. appellare placuit, pera seu penula, ollula media tesserata, conclave cellulatum, & ventriculus proprie dictus Jo Æmyliano intestinalis. Quæ receptacula fusius explicantur apud Arist. lib. II. hist. animal. c. XVI. eodem modo Volchero Coitero visa Observ. Anat. p. 123. & cellularum nomine à V. C. Thoma Bartholino, Professore Regio Hafniensi, in caprea, ut ipsi vocare lubuit, silvestri observata Cent. II. hist. anatom. rar. XLIX. quorum exactam & omnibus numeris absolutam effigiem hîc damus, à nullo hactenus propositam, præterquam à Thoma Cnoblochio, Instit. Anatom. disp. IV. qui manu adeo rudi depictam protrusit, ut nostræ ad vivum, & propriæ sectionis fide expressæ, ne quidem conferri mereatur. Cæterum licet Aristot. lib. IX. hist. animal. c. L. sic scribat: μηρυκάζει δὲ τὰ μὴ ἀμφόδοντα. οἷον βόες καὶ πρόβατα, καὶ αἶγες. ἐπὶ δὲ τῶν ἀγρίων ὐδὲν πω συνῶπται, ὅσα μὴ συντρέφεται ἐνίοτ' οἷον ἔλαφος. αὕτη δὲ μηρυκάζει. Unde cùm hæ silvestres capræ sint, nec ipsas ruminare credi posset, nemo tamen, quod absq; invidia dica-



a. Oesophagi abscissi portio
b. Ventriculus primus. κοιλία Aristoteli.
c. Ventriculus secundus. κεκρύφαλος Aristot. Reticulum Theod. Gazæ.
d. Ventriculus tertius. ἐχῖνος Arist. Omasum Theod. Gazæ.

e. Ventriculus quartus. ἤνυστρον Arist. Abomasum Gazæ.
f. Pylorus, seu os ventriculi inferius.
g. Intestini tenuis portio.
2. Os ventriculi superius.

H. J. Bodenehr fec.



dicamus. ſive vertendo, ſive commentando mentem philoſophi huc usq; ſatis adſequutus eſt, quæ cauſa exſtitit ut Aldrovandus quoq; in prolegomenis ad hiſt. quadruped. tam multa ex aliis argutatus, textui tandem aliquid deeſſe ſuſpicaretur, poſtquam & Plinium lib. X. cap. LXXIII. à Pierio Valeriano in Hieroglyphicis jure reprehenſum vidiſſet, & vulgatam interpretationem tamen non caperet, quæ ſic habet: *Ruminant, quæ ſuperiori dentium ordine carent, ut boves, oves, capræ. Ex feris nullum adhuc ruminare conſtat, præterquam ea, quæ aliquando cum hominibus exigunt, ut cervus, hunc enim ruminare planum e*[illegible]. Sic autem poſteriora ad ſenſum vertenda putamus: *Ex feris nullum adhuc ruminare viſum eſt, ſicut cervus, niſi quale etiam domeſticum alatur*: Hoc ſibi velle τὸ ὅσα, & τὸ συντρέφεται, ijs præcipuè perſuademur, quæ ipſe lib. I. hiſt. animal, c. I. docuerat: πάντα, inquiens, ὅσα ἥμερά ἐστι γένη, καὶ ἄγριά ἐστιν, οἷον ἵπποι, βόες, ὕες, ἄνθρωποι, πρόβατα, αἶγες, κύνες. Quæ igitur ex his domeſtica aluntur, ſeu συντρέφεται, & ruminant, agreſtia quoq; id facere ſolent, quæ autem fera tantum, nec paria domeſtica habent, nulla omnino ruminant, excepto ſolo cervo, ſub cujus tamen nomine plura genera comprehenduntur. Quod ſi hæc quoque, ut conjicimus, Alberti Magni lib. VIII. de animal, ſententia olim fuit, hiſce

verbis propoſita : *Niſi creentur ad figuram alicujus domeſtici ruminantis* : erit profecto, cur viri, extra ſermonis elegantiam doctiſſimi, conſenſu, novitatis periculum nos exiiſſe gaudeamus. Quanquam nec multis opus, cum DEUS ipſe inter munda & ruminantia animalia, Iſraêlitis ad eſum conceſſa, rupicapras enumeraverit Deuteron. cap. XIV. verſ. V. utut vulgata verſio Latina, & altera Benedicti Ariæ Montani, ad mentem LXX. interpretum Græcorum, *tragelaphum & pygargum* commemoret pro אקו ודישון Hebræorum Nec enim tantum conſtanti Judæorum traditione, ad extremam noſtrorum colluviem usque derivata rupicapras intelligendas patet, ſed & diverſas paraphraſes conferentibus planiſſimum evadit. In Chaldaica certe R. Onkelos יעלא *Rupicapra* exponitur à Jo. Buxtorfio, quanquam & *ibex* præterea à Guidone Fabricio Bodeniano in Lex. Syr. Chald. Nam alterum רימא Orygem potius aut Monocerotem ſignificat, etiam apud Syros, monente Andrea Maſio in Syr. peculio, & Jo. Bapt. Ferrario in Nom. Syr. cui propterea apud Hebræos ראם potius, quam דישון reſpondet. Optimè autem Arabs ille quem excellenti R. Saadiæ merito ſuo præferendum, poſt Joſephum Scaligerum cenſebat Thomas Erpenius, in translatione ſua

אלועל

אלולע ואלארוי reddidit, h. e. *rupicaprum & capras montanas* Cui quam proxime accedit Latina Sebaſtiani Caſtalionis: *rupicapra & dama:* necnon Germanica noſtra: Steinbock vnd Tendeln h. e. ut ſcholiaſtis Noribergenſibus videbetur: Gemſen oder wilde Geiſſen. Et Tigurinorum antiqua: Gemß/Steinbock. Nec ſane mirum, hæc apud interpretes minus expedita fuiſſe, cum Græci quoque & Latini, dorcades, platycerotas, pygargos, ſtrepſicerotas, bubalos, oryges, damas, capreas, & ibices, communi & prope fatali quadam negligentia ubique confundant, quam Geſnerus lib. I. de quadruped. p. 290. & Jul. Scaliger Exerc. CCVII. jam olim tetigerunt, Hic certe apud Latinos Rupicapram, generis nomen pronunciat, ſub quo & ibices, & capreas, vulgo Italiæ *Camuccie* dictas, complectitur, quod forte, quin nos de אקו Hebræorum pari ratione uſurpare poſſemus, nihil prohiberet, ſi maximè דישון pygargũ aut orygem, aliudve animal ſignificâſſet. Laxiori ſane interpretatione Santes Pagninus in Theſ. Ling. Hebr. אקו de quovis hirco aut ariete ſilveſtri exponit, ut nullam icciрco cauſam habuerit, cur eodem in verſu Hebraicum זמר, quod cæteris omnibus Camelopardalis aut bubalus habetur, capram rupicolam reddiderit, neq; cur hunc ſequatur Be-

nedictus Arias Montanus in versione sua interlineari. Quidquid tamen sit hinc saltem rupicapras ruminare aperte constat, quod latius deducendum erat quia id scire nonnihil referre videbatur ad Ægagropili naturam accuratius cognoscendam, quam nos causarum succincta expositione absolvemus. Ut ergo formam à philosophis vocatam sicco, quod ajunt, pede prætereamus, quam nec in cæteris quisquam nostrûm, ut sumus homines, aut mente satis adsequi, aut nomine exprimere potest, efficientem, quæ sæpe cum hac eadem occurrit, curiosius investigare conabimur. Hoc autem initio mox supponentibus nemo, ut speramus, facile negare poterit, ipsam Ægagropilorum generationem respectu animalium aliquid præter naturam esse, quod, si non morbum arguat, saltem nec multum à morbo abludat. Nec enim in omnibus rupicapris hos reperiri certum est, quod tamen, si quid naturale esset, accidere necesse foret, nec viribus illorum propterea in Medicinæ usu vel tantillum decedit, cum tophos quoq; equorum podagricorum, post Paracelsum, Osvaldus Croillius hystericis commendet, & lacrymas cervorum lippientium jam olim Arabes laudârint, ipsosq; è vesica humani corporis, cæteroquin carnifices calculos, cuivis lapidi Badzahardico præferendos, experimentis

mentis in peſte crebrioribus edoctus pronunciârit Jac. Bontius not. in Garc. ab Hort. c. XLVI. mirãq; philtri perniciem iisdem feliciter profligârit Henric. ab Heer obſ. rar. XIII. Ut ergo tam in homine, quam reliquis animalibus nec frigore lapides, nec calore ſolo generantur, quod dudum ab aliis prolixe oſtenſum ſcimus; ſed ab interno quodam principio, ſalino, & Spiritu λιθοποιητικῷ facultatem habente. ſeu ſucco, ut Gabr. Fallopius tr. de therm. aq. & metall. cap. VII. appellat, lapideo, aut rectius, ut Georgius Agricola lib. IV. de ort. & cauſ. ſubterr. c. XI. lapideſcente, aut ut nonnulli, lapidifico, ita Ægagropili quoq; non aliam, puam ipſam hanc, efficientem cauſam agnoſcunt. Nec enim obſtat, quod abuſu nominis, minusq; accurate lapides hos dici ſupra monuerimus, cum ex eodem ſucco cõagulatorio in plantis quibusdã ſeminum duritiem, atq; in animalibus oſſium quoq; & teſtarum generationem perdocte deduxerit V. C. Daniel Sennertus, in erudiro opere de Chem. & Gal. conſ. & diſſ. c. XI. ut quem in terra paſſim, & aquis latitare, veriſſime docuerat. Hunc enim plantæ, maxime alpinæ, cum alimento attrahunt, & animalia cum potu in viſcera congerunt, morbos deinde pariturum, nî excretricis robore mox omnem ſuperatum per alvum aut urinam reddant.

Unde

Unde nec alia illorum quoque calculorum causa credenda est, quos equos aliquando aut rejecisse, aut letiferos gestâsse vidimus, & olim quoque fide dignissimi viri memorârunt; Thom. Jordanus tr. VII. de pest. phænomen. cap. IX. propria observatione pilis refertos, & Jo. Cratonis experientia Badzahardicis figura viribusque similes. Raymundus Mindererus, nostratum præstantissimus tr. de pest. c. XV. quotannis renascentes. Felix Platerus tr. III. Pr. c. XV. scybalorum formam exprimentes J. C. Scaliger Exerc. CXXV. levissimos; Andreas Chioccus sect. III. Musei Calceolar. ovo anserino majores, & Musarum ocellus, Jo. Rhodius Cent. II. obs. LXXIV. Petri à Castro, Poliatri Veronensis excellentissimi testimonio, plurimos minores; Andreæ Libavio in Cist. Med. Jo. Hornungi epist. LXV. Hippolithos non male appellatos, quamvis ibidem de vini potu, in tollutario Neapolitano, apud Episcopum Bambergensem, nonnihil ambigere videatur Sigismundus Snizerus, præclarus Medicus, epist. LXIV. qua geminam effigiem produxit. Ut enim hanc vini suspicionem, boum exemplo, Libavius inanem ostendit, ita de aquis, maxime alpestribus, nos dubitare non permittit Balthasaris Conradini, Medici Suatiensis, in valle Oeni dicta, experientissimi observatio, de molitoris equo, glo-

globum lapideum insignem, & alabastro omnino similem, fatalem in ventriculo gestante, quam ex Tornesio refert Jacobus Moccius, celeberrimus apud Brisgojos Friburgenses salutaris scientiæ professor. part. I. de caus. concret. & dissol. p. 136. Tales autem non tantum in ditione Tirolensi aquas, sed etiam Salisburgensi, nec non ad Curiam Rhætorum, & in Carinthia, Styriaque obvias testatur Jo. Langius lib. III. epist. IV. ex quarum potu diuturno, tam advenis, quam incolis, monstrosos quoque gutturis tumores subnasci, uti est notissimum, ita peculiari Medicorum observatinoe sæpius in cartilaginem duratos constat. Nec homines tantum & cætera animalia sic defoedari novimus, sed ligna quoque & virgulta aquis ejusmodi injecta, quamvis rectissima, nodosa & tuberosa evasisse, certo quorundam experimento, idem Langius refert. His autem locis omnibus, modo enumeratis, rupicapras degere nemo ignorat, ut nihil miri videri queat, si in ventriculis illarum Ægagropili concrescant, non alia magis ratione à lapidibus differentes, quam singulari materiæ dispositione, de qua mox plenius agendum erit. Hoc enim prius monendum duximus, vero simillimum nobis videri, vim illam coagulatoriam inesse quoque sali are-

naceo, quem rupicapræ magna delectatione, non secus ac culinarium capræ domesticæ, liguriunt, de quo Gesneri verba, ex histor. quadruped. vivipar. p. 292. merentur adduci: *Conveniunt*, inquit, *sæpe circa petras quasdam arenosas, & arenam inde lingunt, ut villatica pecora salem, quo linguæ interim pituitam defricent, & excitent appetitum. Qui alpes incolunt Helvetii, hos locos sua lingua,* Sulßen/ *tanquam salarios aut halopegia appellant. Circa hos occultant se venatores cum bombardis, & pro more accedentes capras ex improviso feriunt.* Nimirum non tam arenam ipsam, quam aphronitrum, lambendo expetunt, quod sponte in rupibus efflorescere, præter alios, recte notat Christophorus Encelius lib. II. de re metall. c. XV. & in lapidibus quibusdam non minus, quam terra, latere observat Andreas Cæsalpinus lib. I. de metall. c. XX. Unde vulgaris quoque salis petrosi appellatio orta. Nos certe in Ægagropilis quibusdã ejusmodi seu salis seu arenulæ splendentis quidpiam hinc inde promicare vidimus, & amicis, in testimonium, ostendimus. Cæterum materiam, ut nobis dubiam reliquit venantium incuria, quorum pleriq; victum hinc quærentes Naturæ ignarissimi omnia extra lucrum negligere solent, reliqui autem gravioribus curis impliciti satis habent, si animi tantum gratia feras persequantur, ita suspectam

Medi-

Medicorum quorundam altercationes reddiderunt. Vulgari enim opinione omnium, quotquot audire nobis hactenus, aut legendo videre licuit, Ægagropili ex radicibus naſcuntur plantæ in alpibus frequentiſſimæ, quam Officinæ Doronicum appellant, narrante id etiam doctiſſimo Noricorum Medico, Joachimo Camerario in Horto ſuo, & Conrado Geſnero lib. I. quadrup. p. 293. Ubi propterea Germanico Idiomate Gemſenwurtzen / vocantur, quod rupicapræ eſu illarum valde delectentur, vertigini, ut credunt, præcavendæ, dum editiſſima montium juga conſcendunt, vallesque profundiſſimas quandoque ſaltu ſuperant; Unde & alterum nomen, Schwindelwurtzen / excogitatum, tertiumque Mutterwutzen / ab effectu in coli doloribus inſigni, quos imperiti cum uterinis mulierum confundunt. Nec multum à primo abludit Rhætorum vox, *Graſſoy*, Geſnero memorata, quæ ex Arabica גפר *Goſro n* foetum rupicapræ ſignificante, leviſſima literarum trajectione, nata videtur, à qua מגפרה eſt rupicapra mater. Ipſa autem Doronici appellatio, ſi maxime ex Arabum Dorungo originem traxiſſet, ut quondam Geſnero cæterisque credebat Cl. Bauhinus, in pin. theatr.

Botan. lib. V. ſect. IV. quod tamen valde dubium extrema conſonantium *Gim* reddit, quam nos Latine quoque lineolâ notavimus, ceu *Gimel Raſatum* Hebræi ſolent, ut ſonum, quem habet, eundem cum litera G. ante ſecundam & tertiam vocalem apud Italos, Galloſque, clarius exprimeremus, non tamen Citrium ſignificare poteſt, ut Geſnero lib. II. epiſt. XXIV. perſuaſum erat. Hoc enim Ebn Sinæ lib. II. ſimpl. אתרג *Vtrog̅on* vocatur, & à *Durung̅o* דרונג expreſſe capitibus diſtinguitur. Ut nihil ſane obſtet, quod Perſicâ linguâ תרנג *Turung̅*, Citrium notare adfirmet Ebn Beithar in ſuo de ſimpl. libello. Niſi abuſu quodam ſimilitudinis, & virium reſpectu, utrique apud Perſas communem vocem exiſtimemus. Nos Indicam mallemus credere, niſi caninâ literâ Sinenſes carere ſciremus, apud quos ſane Dorung̅on præſtantiſſimum naſci, & vulgo tum temporis uſitatum Ebn Serapion teſtatur tr. de ſimpl. ex plant. cap. CCCXXXV. ubi Interpres ineptiens pro *Dorung̅o* nobis *Haronigi* obtruſit, eademque linguarum Orientalium imperitiâ Andreas Cæſalpinus lib. XII. de plant. XXXIII. ex Sinis Syriam fecit. Quod vero id ullam cum noſtro Doronico ſimilitudinem habeat, ſeu formam externam, ſeu vires quis reſpiciat, plerique nimis

nimis præcipites negare videntur, prudentiores profecto, si tantum dubitarent, cum neque ex Arabum scriptis, quod putant, satis ostendi queat, neque ex aliorum monumentis, quam Sinensium, rectius hauriri debeat, qualia apud ipsos plurima superesse constat, tam penicillis, calamorum vice, descripta, quam prælis aliquot seculis excusa, antequam artem Typographicam Europa didicisset. Sunt enim illis non tantum Philosophi, sed Medici quoque præstantissimi, teste Alvaro Semedo part. I. relat. de regn. Sin. cap. XI. ut & reliquis Indis, qui *Maci* cognominantur apud Alphonsum Ovaglium lib. I. de regn. Chilens cap. II. Ejusmodi certe libros Botanicos, optimæ notæ, à Ximnungi Imperatoris ætate antiquissimos, & vel Dioscoridi præferendos, non tantum in Sinis ipsis vidit & laudavit Martinus Martinius, illarum peritissimus, Decad. I. histor. Sin. lib. I. Imper. II. sed etiam iconibus plantarum refertos, hinc asportatos, apud se duos, tres apud Iosephum Scaligerum, & unum apud Petrum Pauvium, olim commemorabat Floræ delicium, Carolus Clusius, in auctario Exoticorum, nec ita pridem fragmenta quædam in Museo suo Olaus Vuormius, cultissimus Daniæ polyhistor. lib. IV. c. XII. Ut vel hinc aperte colligere liceat, quanti foret, characteres illorum

 intelli

intelligere posse, qui soli linguam difficilem ingenti numero efficiunt, cum singuli à reliquis diversi, singulas voces, non literas designent. Tales autem faciliores explicatu futuri essent, si quis in libros literis Arabicis conscriptos, favente fortuna aliquando incidisset, ut quibus interdum sermonem Indicum non quidem Sinenses, morum suorum tenacissimos, sed Turcas, vicinis Insulis degentes, exprimere jam olim observârat Josephus Scaliger epist. CCCXXIII. Indosq; ipsos nuper modo narrabat Nicolaus Tulpius lib. IV. obs. Med. cap. V. Nec enim vero simile videtur, virũ eruditissimum scripturam Malavaricam errore Arabicam putâsse, cujus ideam è libro palmarum foliis compaginato spectandam exhibuit V. C. Adamus Olearius not. ad lib. II. Itinerar. Jo. Alberti à Mandelslo, c. X. Sed hæc optare potius, quam forte sperare licet. Erit tamen, cum eruditionem quoq; Sinensium aliquando cognoscere poterimus, postquam doctissimorum virorum operâ plures quotidie Orientalium linguæ feliciter excoli incipiunt. Salivam certe curiosis movit non ita pridem Flora Sinensis V. C. Michaelis Boym, sed ampliori inscriptione, ac paucis illis fructibus esculentis, plantisq; aromaticis conveniat, quam utinam aut ipse, aut Medicorum quispiam linguæ terræq; peritus, numeris suis aliquando

quando absolutam Reipub. literariæ non invideat! Nos interim nostra studiosius persequamur. Præter Dorungon igitur illud exoticum, sive Sinense Arabibus celebratum, quod Petrus Pena cum Matthia Lobelio, in stirpium adversariis, p. 33. incertâ conjecturâ Mechini seu Zingiberis novam speciem existimaverat, & alterum Americanum, quod nos Patavii visum ipsi deinde coluimus, decem diversa Doronici genera Bauhin9 enumerat in pin. theatr, Botan. è quibus tertium est illud, quod Officinis Romanum dictum, magisq; usitatum Ægagropilis materiam præbere creditur, quanquam cur reliqua excludi debeant, nulla fortasse causa sat gravis fingi queat, cum omnia montanis locis nasci, & paribus prope facultatibus pollere manifestum sit. Hoc autem quidam veneni suspicione infamare conati sunt, hanc solam præcipue ob causam, quod scorpium radicibus utcunq; exprimere atq; propterea ex aconiti familia illud esse videretur, quod olim σκορπίος appellatum apud Theophrastum lib. IX. hist. plant. cap. XIX. & quo tactis tantum genitalib9 Calphurnium Bestiam dormientes uxores interemisse Marcus Cæcilius arguebat referente Plinio lib. XXVII. c. II. Cui sententiæ à Bartholomæo Maranta lib. I. method. cogn.

cogn. ſimpl. cap. XI. primum in medium prolatæ, experimenta deinde ſua in canibus facta jungebat Petr. Andreas Matthiolus Comm. in Dioſc. lib. IV. c. LXXIII. quamvis Marantæ primo contrarius, Geſnerum reprehendens, cui radices illas Doronici vulgo dictas, venenoſas putare ridiculum videbatur, cum ſuam ubique fidem, atque experientiam in proprio corpore haut ſemel captam viciſſim contradicentibus opponeret, nec tantum innoxiam, ſed contra venena etiam ſalutarem plantam usque adeo clamaret, ut nomenclaturæ ſuæ Arabicæ oblitus, poſtremo Græcam ἀπὸ τοῦ τὴν τόρραν νικᾶν excogitârit, in diſſertatione poſtuma dn aconito primo Dioſ. ex magno hiſtoriæ plantarum opere excerpta, quo tamen pacto deinceps non *Doronicum*, ſed potius *Tcronicum* ſeu rectius φθορόνικον fuiſſet appellandum. Obſervationes autem ex canibus, cæterisq; brutis animalibus deſumptas, quamvis eventu, & pharmaci pondere, haut parum dubias, Geſnerus facili diſtinctione omnes eludebat, aut ſaltem ſimilibus exemplis amoliebatur, multa hominibus innoxia oſtendens, quæ canibus, lupis, vulpibus, porcis, atque etiam pantheris præſentiſſima venena eſſent, quod nec Maranta diffiteri poterat. Ita mox ſponte ſopitâ controverſiâ elapſis plusquam

LXXX

LXXX. annis ab obitu illorum, nemo deinceps plantam hanc publice accuſare auſus eſt, pharmacopoeis ubique non aliâ plerosque pulveres aromaticos differcientibus, cæterisque Lobelii argumenta in ſtirp. adverſ. p. 290. & cenſuram Ludovici Septalii lib. IX. an. & caut. Med. num. LIV. & LV. verentibus, donec noſtrâ memoriâ V. C. Gaſpar Hofmannus denuo eam veneficii poſtularet lib. II. cap. IV. laborioſi operis de medicamentis Officin. quod ipſe XXX. annorum ætatem tuliſſe gloriabatur, quamvis ſubinde haut pauca deprehendamus, non tam quæſita ratione quam adfectato quodam imperio promulgata, atque ex Orientalium literatura pleraque non magis certa, ac ſi alicui per quietem pridie demum, aut nudius quartus, veniſſent in mentem, cujus propterea argumenta conſiderare operæ pretium fuerit. Quod ergo primum ſibi obſtare adfirmabat, gradum caloris & ſiccitatis quibuſdam tertium, ſed Dodonæo & Geſnero ſecundum nominari, aut nihil ad rem facere, aut nihil evincere videtur. Nec enim ipſa graduum diſtinctio, in reliquis etiam, ſat firmis rationibus adſerta eſt, nec ex calore aut ſiccitate occulta veneni natura recte deduci poteſt. Mirari autem, Geſnerum tam timide egiſſe, ne quidquã neceſſe erat, ut qui hoc

ſolum innuere voluerat, Doronicũ, etſi non verum & genuinum Arabum Dorungon, ſed pſeudodoronicũ potius appellandum foret, non tamen propterea noxium aut abjiciendum eſſe. Hanc ſane dubitantis modeſtiam liberali ingenio digniorem cenſemus, ac illam Hofmanni licentiam, qua Arabum deſcriptionem cum planta Officinarum non magis convenire pronunciabat, quam album conveniat cum nigro. Nam licet nos quoq; utramque eandem eſſe non facile credituri ſimus, in multis tamen haut leviter convenire patet. Certiora vero ſoli Sinẽſes docere poterunt, ut ſupra monebamus. Apud hos ſane, cæterosq; Indos, plurimas plantas noſtris perſimiles, ſed viribus, odore, & ſapore præſtantiores naſci nemo ignorat, à quibus etiam Dorungon ſuum Arabes & Perſæ accipiebant, ceu Ebn Serapion teſtatur, quem Ebn Sina, vix unquam diſſentiens, aut tacite ſequitur, aut aperte exſcribit, & ingenue laudat, non ex Auſtria, Styria aut Helvetia, quas nuper regiones V. C. Vopiſcus Fortunatus Plempius ſchol. in lib. II Can. Ebn. Sin. tr. II. c. IV. tit. propr. fruſtra nominavit, ut nullo tum temporis illorum & Germaniæ cõmercio. Porro experientia, quam infallibilem ab ipſo Geſnero ſumptam Hofmannus nobis perſuadere conabatur, im̃en-

ſum

ſum quantum diſtat à vero Germani pectoris candore, quem ille ubique præ ſe tuliſſe gloriæ ducebat. Cur enim Ioanni Coſtæo, nec ſupra exemplum docto, nec rerum aut linguarum Orientalium ſatis perito Ebn Maſviæ & Ebn Sinæ commentatori, homini trans alpes longius remoto, & qui tota vita ſua Geſnerum nunquam oculis vidiſſet, majorē fidem habere poſteros cogemus, quam viris nec in ſpeciem bonis, nec in oſtentationem eruditis, Gaſpari Vuolfio, Medico Tigurino, aut potius Ioſiæ Simlero (hunc enim, non illum, oratione parentantem adducit Melchior Adamus) quorū utrumq; Geſnero ægrotanti adſtitiſſe nemo negare auſit, & qui propterea de mortis genere aptiſſime teſtari poterant, omni exceptione calumniantium ſuperiores? Quod ſi tam facilis in exterorum fidem animus Hofmanno propendebat, at ſaltem Iacobo Auguſto Thuano, hiſtoricorum ſui ævi meritiſſimo principi, & incorruptæ ſinceritatis nobiliſſimo ſcriptori prudentius crediddiſſet, qui illum Hiſtor. lib. XXXVII. lue peſtifera demortuum narraverat. Nec adeo ex ipſiusmet Geſneri verbis, Hofmanni opinione, eſu deroniei exſtinctum colligere licet, quin ex iiſdem epiſtolis, quas nominat contrarium monſtrari queat. Cura-
 tum

tum ſe namq; balneo fatebatur, non tamē antido-
to, quam parum fideliter Matthiolus adſuebat. Sa-
xonicam enim non tum, ſed alio tempore, in ſimi-
li adfectu, cujus nec ipſe cauſam recordari pote-
rat, à ſe adſumptam referebat, hunc ipſum omni-
no in finem, ut leviuſcula illa ſymptomata non
tam Doronico, quam ſuæ conſuetudini, adſcri-
benda oſtenderet. Quæ ſane nec ſatis veneni ſu-
ſpicionem alere, nec admirationem cuiquam exci-
tare poſſunt, ſi Geſneri ætatem & diſpoſitionem
corporis, cum modo, quo utebatur, experiundi,
cōferre non dedignetur. Nam ipſe in epiſtolis tum
temporis ad Ioannem Bauhinum datis, quas ſin-
gulari faſciculo collectas, & Ioachimo Camera-
rio inſcriptas V. C. Gaſpar Bauhinus edidit, ſe-
nectutis moleſtiam præcipue criminabatur, & ſe
in Græca ad doctiſſimum Adolphum Occonem,
ἰσχνόν τι τὴν ἕξιν καὶ καχεκτικὸν ἀεὶ fatebatur, radices autem
Doronici ſiccas, duraſque, & lento ſucco vix va-
lidiſſimo ventriculo ſuperabiles, non ſimplici,
quod drachmam non excedit, ſed duplicato
pondere adſumpſerat, & quidem ex aqua calida,
quod non abs re ſemper mirati ſumus. His au-
tem accuratius experiſis nihil inuſitati videri po-
teſt, ſi ventrem & ſtomachum poſtea inflari &
circa

circa os ventriculi imbecillitatem quandam perſenſerit, quæ totum corpus infirmius reddebat. Id cum acciderit anno ſuperioris ſæculi quinto & ſexageſimo, Septembri menſe, ad Idus uſque Decembres incolumis ſuperfuit, quod inter alias teſtatur modo laudata Græca epiſtola ad Occonem paullo ante obitum exarata, niſi nos in Hofmanni gratiam nunc credere debeamus, Geſnerum, cum illam ſcriberet, ſe eſu Doronici ante trimeſtre mortuum non ſatis probe meminiſſe. Ex hiſce autem omnibus clariſſine apparet, quam importuna, & quam γεροντικὴ fuerit gratuita Oratio, qua manes illius adloquebatur, ut quos interroganti nequidquam reſponſuros facile præſcire poterat. Nam quæ poſtremo de opii frigore & aconiti vi ſeptica ſubjungit, ut frigidiſſima, & abſurdiſſima, nihilque ad rem facientia ideo præterimus, quod diuturnâ experientiâ Doronici radices non tantũ pulveribus aromaticis permixtas, ſed ſolas quoque contra vertiginem innoxie à plurimis uſurpatas obſervare licuerit, ut nec periclitandi temeritatem ullam vereamur, ſeu moneat quis, ſeu taceat, nunquam facturi de quibus dubitamus, & nunquam de illis dubitaturi, quæ facere non prohibemur. Cæterum hæc ideo prolixius diſſerenda erant, ut

una eademq; opera tam ipſas Doronici radices, quam Ægagropilos veneni culpa liberaremus, ſi maxime ex illis ſolis, ut plerique exiſtimant, gignantur. Quanquam hoc nondum idoneis argumentis ſatis comprobatum videatur, nec forte, ſi ſit, adeò multum referat, Doronici radices maligna quadam vi infectas eſſe, (quâ tamen carere certum eſt) cum coturnices quoq; helleboro veſcantur, & gallinæ araneos deglutiant, & ſturni cicutâ victitent, quas tamē aviculas menſis innoxie inferri novimus. Eſt enim capris ſilveſtribus peculiaris & efficax adverſus venena facultas, pātheris occulto Naturæ dictamine haut ignota, de quibus propterea inter Poëtas Græcos, Georgius Piſidas in Hexaëmero ſeu Coſmurgia, verſ. 921. & 922.


Καὶ πάρδαλις μὲν λύθρον αἰγὸς ἀγρίας
πίνει νοσοῦσα, καὶ καθαίρει τὴν νόσον.

At pardalis feræ cruorem haurit capræ
Vexata morbo, ſic medetur & ſibi.

Hunc certe morbū ad aconitū pardalianches idcirco dictū apud Plin. lib. IIX. c. XXVII. ex mente Alberti Magni refert Uliſſes Aldrovandus lib. I. de digitat. vivpar. cap. II. Cui cum ſanguis capræ ſilveſtris medeatur, ſanguis autem ex chylo, chylus ex cibo producatur, quis credat illum ex aconito eodem generari? Ut vel hinc vero ſimile appareat.

Figura Ægagropilum supra n.° III. expressum, per medium diffractum exhibens, ut interiora è fibris innumeris arctè compactis sub nigra et rugosa cute conclusa conspicj queant.





1. Fibra longissima, in Ægagropilo maximo supra n.° I. depicto, et reflexa reperta.
2. Fibra communis, cuj plurimæ similes conspici solent.
3. Fibra nervulum exilem, gracilem, et ligneum per medium corticem transeuntem ostendens.
4. Aliquid papposo filamento simile.
5. Folium rosmarino silvestrj non absimile.
6. Folium alterum exiguum, tanquam Ocimj silvestris in medio repertum.
7. Cauliculus splendens, ceu Trichomanis aut adianti.
8. Spina adunca in Ægagropilo III. supra delineato, inventa.

H.I.B. f.

Doronicum officinarum non esse aconitum pardalianches appellatum, nisi quis illud dixerit à capris silvestribus devinci, atq; in singulare alexipharmacum mutari, ut nuper non nemo ex Chemicorum grege venena omnia peculiari arte in antidota converti posse, licentius adfirmavit. Utraq; autem ratione Ægagropili veneni suspicione absolventur, quæ tanto iniquior & vanior habenda est, quanto propius vero accedit doctissimorum virorum, Ioachimi Camerarii, & Zachariæ Belii, Medici Curiensis, apud Cl. Bauhinũ sententia, qua præter Doronicum, aliarum quoq; plantarum alpestrium depastæ fibræ nominantur. Nos enim in uno & altero Ægagropilo, tam tenues & longas has deprehendimus, quam sane nullæ Doronici radices habere solent. quemadmodum & folia, non unius figuræ, spinasq; aduncas, & aliquid filamentis simile, quod Dioscorides lib. III. cap. X. in echinis acanaceorum ὥσπερ τρίχας ἐκπαπτουμένας appellat. Cui accedit, quod Aristoteles lib. IIX. histor. animal. cap. X. tam capras quam oves, ποηφάγα h. e. *herbivora animalia*, non ῥιζοφάγα, nominârit, quamvis & herbæ vocabulum generalius explicandum videatur. Vere enim Columella lib. IIX. rei rust. cap. VI. de caprino pecore: *Id genus dumeta potius, quam campestrẽ situ desiderat, asperisq; etiam locis*

ac sil-

ac silvestribus optime pascitur, nam nec rubos aversatur, nec vepribus offenditur, & arbusculis, frutetisq; maxime gaudet. Ea sunt arbutus(sic optime restituit Philippus Beroäldus) *atque alaternus, cytisusq; agrestis, nec non ilignei, querneiq; frutices, qui in altitudinem non prosiliunt.* Et M. Varro lib. II. de re rust. cap. III. *Nec multum aliter tuendum hoc pecus in pastu, atque ovillum, quod tamen habet sua quædam propria, quod potius silvestribus delectantur saltibus, quam pratis. Studiose enim de agrestibus fructibus* (mallemus, fruticibus) *pascuntur, atque in locis cultis virgulta carpunt, itaque à carpendo capræ nominatæ.* Quo T. Calpurnius haut dubie respiciens Eclog. V.

& amantes lustra capellas,
Et melius pratis errantes mollibus agnas,

eleganter cecinit. Id tamen ipsum non aliter accipiendum est, ac Aristoteles l. c. innuit his verbis: τὴν δὲ νομὴν ποιοῦνται αἱ αἶγες ταχὺ μεταβάλλουσαι, καὶ τῶν ἄκρων ἁπτόμεναι μόνων. h. e. *Pascuntur autem capræ cito transeuntes, & cacumina sola attingentes*, sive, ut auctor Culicis vertisse videtur:

Suspensæ rapiunt carpente cacumina morsu.

Quæ sane mollissimæ fruticum portiones, herbis quodammodo substantiæ teneritudine respondent. Nam licet nulla necessitas nos cogat credere, eandem caprarum domesticarum & silve-

strium

ſtrium paſturam eſſe, haut parvam tamen ſimili-
tudinem in modo illius deprehendi ſatis ex ſu-
perioribus apparet. Nam ſpinæ illæ aduncæ,
quas nos in medio Ægagropilorum reperimus,
non tam herbæ, quam fruticis ſeu rubi alicuius
fuiſſe videntur, de quibus iccirco ſuum cuique
judicium, & liberam conjectandi poteſtatem
merito relinquimus. Ita ut reliquos quoque cau-
liculos fibroſos ex ſummis fruticum apicibus
decerptos exiſtimare, nihil abſoni cenſeri queat,
inprimis cùm fere omnes nervulum, ut ut exi-
lem & gracilem, ligneum tamen accurate exami-
nantibus exhibeant. Quanquam nos neque her-
bas, neque radices omnino excluſas cupiamus.
Illas enim folia ſupra commemorata ſatis oſten-
dunt. Has autem peculiaris Naturæ inſtinctus
in aliis etiam animalibus conſpicuus, admitten-
das arguit, ſi modo verum eſt, quod vulgo cre-
dunt, rupicapras Doronici radices, non tam ci-
bum, quã præcavendæ curandæve vertigini re-
medium expetere. Hoc ſane, ut fateamur, ne-
mo huc uſque certis experimentis firmare potuit,
& ipſa corporum conſtitutio haut obſcure re-
fellere videtur. Sunt enim rupicapræ non mi-
nus, quam capræ domeſticæ, ex Ariſtotelis doctri-
na, κερατοφόρα καὶ μὴ ἀμφόδοντα animalia. Quæ autẽ

 utrinque

utrinque dentata non ſunt, nec eā oris duritie comperiuntur, ut vi radices profundius defixas, & intra cautes geniculatarū propaginum copiâ hærentes, ut ſunt Doronici, extrahere valeant. Niſi quis eas ungulis eruere crediderit, non ſecus, ac iisdem, dum præcipitia & crepidines conſcendunt, haut raro ſaxorum fidem tentant; quod tamen ipſum nondum experientia oſtendit. Imo inſignis illa Ægagropilorum levitas, quæ vel in maximis obſervatur, ex plantis potius tenerioribus prognatos arguit, quam ponderoſis doronici radicibus, quarum tamen fibras tenuiores ad latera diſperſas, ſi aliis ſic videatur, non omnino rejiciemus, ne fidem Cl. Bauhino denegemus, qui aliquando Doronici radicem integram in medio repertam narrat. Hoc ſaltem extra controverſiam putamus, nec omnes Ægagropilos, nec omnibus in locis ex illis generari. Sic enim Geſnerus, cum montem fractum, Pilati cognomine nobilitatum, prope Lucernam in Helvetia, curioſiſſime à ſe luſtratum deſcriberet p. 46. *In verticibus*, inquit, *& jugis ſaxoſis atque præruptis, per varios anfractus, unde monti nomen, rupicapræ ſtabulantur, & niſi fallor, etiam Ibices.* At poſtea p. 66. ſubjungit: *Sunt qui & Doronicum & ſeſeli illud, quod noſtri pharmacopolæ vulgo ſiler montanum cognominat*

gnominant, in jugis hujus montis reperiri dicant; Nos in hoc non reperimus, sed in aliis quibusdam Helvetiæ montibus abunde. Si igitur in monte illo Doronicum non provenit, & tamen eodem rupicapræ stabulantur, jam satis planum evadit, nec Ægagropilos, quos illæ generat, Doronico, sed aliis plantis alpestribus originem debere. Quæ autem sint istæ, nec hactenus quisquam prodidit, nec nos in tanta illarum copia divinare possumus. Odore saltem jucundo plerasque & sapore aromatico præstantes esse, sensus fidem faciunt. Si tamen vivæ aliquando rupicapræ ingeniosa captura in potestatẽ redigerentur, quales in aula Bonifacii, patrui sui, cicures commemorat Iulius Scaliger Exerc. CCVII. haut multum difficilis exploratio videretur, magno sane Principe digna, & ægrotantibus certiori remedii destinatione salutifera futura, si nempe eo modo instituatur, quem Galenus in hoedo domestico à se tentatum commemorat. lib. VI. de loc. adfect. c. VI. Nos interim nonnullas nominabimus, quæ aut odore, aut sapore, viribusque præcellentes vix alibi quã locis montanis & alpestribus nascuntur & vel radices non multum profundas seu tenaces, fibris tamen tã tenuibus præditas, vel cauliculos habent, quales in Ægagropilis cõspiciuntur,

 non

non eo quidem animo, quod omnes à rupicapris depaſci credamus, ſed ut cuivis liberum ſit, quascunque voluerit, eligere, ſententiæ aut conjecturæ ſuæ commodiores, dum certiora aliquando experientia docuerit. Ex opere igitur Rovilly Lugdunenſi, præter Doronici diverſa genera ſcabioſam montanam producimus Jacobi Dalechampii lib. X cap. VII. Aſterem montanum luteum radicibus odoratis. c. XX. & Chamædrynmarem Fuchſii. c. XL. Ex Io. Pona, Veronicam alpinam, p. 74. deſcript. mont. Baldi, Saxifragam albam petræam. p. 76. Caryophyllatam alpinam p. 93. & Clinopodium ſeu Teucrium alpinum. p. 95. Ex Geſnero, Lotum odoratam, deſcript. mont. fract. p. 62. & p. 63. 64. Chamædryn alpinam, pimpinellam majorem, Carlinam, daucum montanum, Imperatoriam, Ledum alpinum, vitemque Idæam. Quibus fortaſſe non injuriâ addi poſſent, Nardus Celtica, &, quæ huius ſpeciesRondeletio videbatur, Caltha alpina ſeu Aliſma Matthioli & Damaſonium Lugdunenſium, quod Bauhinus in pin. cum Doronico confundere videtur, Galega item montana, Serpillum, Hyſſopus montana, polium montanũ, & noſtrâ opinione adianti varia genera, quorum in alpibus copioſiſſimus proventus eſt. Nos

certè

certe in Ægagropilis quibuſdam fibras eiuſmodi invenimus, aliisque in teſtimonium monſtravimus, quæ manifeſte nigros nitentesque cauliculos capillorum Veneris aut Trichomanis referebant, quorum vires eximias, huic negotio convenientiſſimas jam olim Dioſcorides celebravit lib. VI. cap. CXXXVI. Quin etiam huc ſatis apte Cytiſus alpinus referri poſſet, quem Lugdunenſes doctiſſimo Dalechampio adſcribunt, & rubus Idæus ſpinoſus, aut geniſtæ ſpinoſæ genus quoddam, & Ciſtus anguſtis foliis, ferruginei coloris, qui Rosmarinus ſilveſtris Matthiolo & Dodonæo dicitur, necnon Baſilicon ſilveſtre, à quibus foliola nobis conſpecta non valde abludere videntur. Certe de ocimo ſativo caprisque domeſticis Plinius lib. XX. cap. XII. contra Diodorum Empiricum ocimi cibo pediculos fieri ſtatuentem: *Sequuta ætas acriter defendit, nam id eſse capras, nec minus quam mentham aut rutam.* Sic enim ad fidem M S. codicis Veſontini, qui apud Joan. Chiffletium erat, omnino legendum putamus, non, ut plerique ediderunt: *nec cuiquam mentem motam.* Magnam autem inter capras domeſticas, ferasque, Naturæ & conſuetudinis convenientiam jam olim ad Catonis mentem in libro Originum agnovit M. Varro, Romanorum doctiſſi-

mus lib. II. de re ruſt. cap. III. hac ratione addita, capras, quas alimus, à capris feris ortas eſſe, nō ſecus, ac oves, quas paſcimus ortæ ſint ab ovibus feris. Quod ſi his omnibus & florem illum addere alicui placuerit, quem in deſcriptione montis altiſſimi, Stochornii, in Bernenſium Helvetiorum agro, quo magna rupicaprarum copia reperitur, commemorat Io. Rhellicanus.

cui fuſcus & ater
Eſt color, ac odor eſt moſcho fragrantior ipſo,
Radicem inſtar habet palmæ geminæ, hincq; vocatur
Chriſtimanus.

Is ſenſu ſuo abundare, per nos non prohibebitur. Huius enim eximias virtutes in cerebri nervorūq; adfectibus deprædicavit Iacob. Theodorus Taberna montanus lib. II. Herbar ſect. IX. cap VII. quamvis fibras, in Ægagropilis conſpicuas, ex aliis deinde plantis deducere oporteat, quas ſane innumeras Rhellicanus à ſociis itineris monſtratas ſibi refert, quarum tamen nec probe memorem, nec cætera rei herbariæ peritū fuiſſe, ſatis ex poëmate apparet. Verum enim vero quæcunq; tandem illæ plantæ ſint, nec ſolæ, nec præcipue, Ægagropili materiam conſtituunt. Nî enim potiorem & efficaciorem illius partē ipſum animal ſuppeditaret, nulla ſat gravis ratio ſubeſſet, cur,

Ægra-

Ægagropilis magis, quàm plantis quibusvis alpestribus in Medicina utendũ foret, è quibus generantur? Hoc ipsum autem, quod animal confert, non alio in loco quærendum putamus, quã illo ventriculi loculo, in quo reperiuntur, Nõ potest igitur aliud quid cogitando inveniri, quã humor aliquis seu naturalis, seu præter naturam genitus. At vero non videtur vero simile, aliquẽ ex illis esse, qui toto genere præter naturam producuntur, aut excrementicii ex coctione resultant. Ex Naturalibus aut nullus illorum credi potest, qui vulgatissima opinione massã sanguinis constituunt, cum per venas ad ventriculum sanguis non deferatur, sed potius retro meet, arteriarum autem orificia in cavitatem hiare nõ soleant, sed intra tunicas dispersæ capillaribus osculis à venis excipiantur, Sed neque lentus & viscidus ille humor censeri potest, qui membranam interiorem ut Viro Illustri & præclare de nobis merito, Io. Veslingio, loqui placuit Syntagm. anatõ. cap. III. mucilaginosa veluti crustula, adversus succorum acrium morsus, munit. Hic enim non tam communis brutis animalibus, quam homini proprius videtur. Nec tepidus ille liquor, quẽ primo ruminantiũ ventriculo peculiarẽ adsignat Io. Æmylianus Syntagm. II. nat. hist. rumin. p. 47. Hic enim,

ipsi-

ipſiusmet ſententiâ, alimentum rudius comminutum, mollius tantum reddit, nec quemvis humorem aqueum virtute exſuperat. Nec chylus accurate dictus exiſtimari debet, cum Ægagropili ex plantis commanſis concreſcant: antequã in hunc verti potuiſſent. Verum ſi genuinam coctionis rationem diligenrius expendamus, ſublimius aliquid ſubeſſe, facile coniicere licebit. Nimirum falſiſſima es vulgi opinio, colore ſolo illam in ventriculo abſolvi. Hic enim generalius facultatum omnium inſtrumentum, nullas omnino actiones, ſeu hominis, ſeu brutorum animalium, ſeu denique plantarum determinare valet. Vis autem quibusdam χυλοποιητικὴ dicta, animos ſciendi avidos non ſatiat, ut quæ modum non explicet, ſed hoc ipſum, quod quæritur, ignorari fateatur. Haut male igitur inter nuperos Io. Bapt. Helmontius, cum multis aliis in locis, tũ maxime tr. quod cal. eff. nõ dig. ſed tant, excit, concoctionẽ fermentatione quadam fieri pronunciavit, quod ante ipſum plus quam XX. annis Petrus Caſtellus epiſtol. Med. V. multâ eruditione & elegantia docuerat. Ne nunc de viro omnium doctiſſimo, Franciſco Sylvio, quidquam adferamus, qui pariter multis anteHelmontium annis Lugduni in Batavis, eandem doctrinam præclarâ anatomes epitome publicè expoſuerat,
quod

quod miræ brevitatis magnæque eruditionis opusculũ amicorum benevolentiâ obtinuimus: at quia pereruditis disputationibus revisam, uberiusq; expositã novis experimentis firmaverat, ipse hoc quoq; ingens atq; perenne amoris sui monumentum adjecit. Imo ante hos integro fere sæculo Theophrastus Paracelsus tr. II. de ent. ven. cap. VII. sed melioris literaturæ ignorantiâ sententiam non malam, pro more, turpiter collutulans. Helmontius tamen eo halucinatus, quod acidum fermentum tantum ex liene in ventriculum profundi, Castellus vero, quod ex chylo in ventriculo genitum acidæ bili ex eodem liene transmissæ misceri existimârit. Non quidem negandus est ingens ventriculi & lienis consensus, quem ab extrema antiquitate omnibus notissimum, nova, sed minime necessaria nomenclatura, quia Politica non Medica, Helmontius Duumviratum appellat, verum ad huius magnitudinem nec fermenti, nec acidæ atræ ve bilis deductione opus est ex liene in ventriculi cavum. Quamvis enim à ramo splenico, ad orificium illius superius gastrica major, seu coronaria, & ad inferius pylorica dicta vena, ad fundum autem vas breve, sæpe intra lienem ipsum nata propagine derivetur, ex hisce tamen omnibus ne guttulam quidem alieni humoris ventriculo adfundi, sed sanguinem tantum ab

arteriis ex ramo aôrtæ coeliaco adlatum, per illas in venam ſplenicam, ex hac ad hepar, inde in cavam, & poſtea ad cor redire, ſatis conſtat ex circulari ſanguinis motu, quē rara ingenii felicitate V. C. Guilelmus Harveius primus in Anglia, frequenti vivorum ſectione compertū, noſtra ætate, publico artis incremento vulgavit, hodieq; doctiſſimus quisque Medicorum Naturæ veroque convenientiſſimum agnoſcit. Tantum abeſt, ut aliquid ex illis in ipſam ventriculi cavitatem in quā nec ora deſinunt, effundatur! Itaq; nec opus erat, ut Gabriel Fontanus, Medicus Maſſilienſis eximius, Apolog. pro IV. humor. Gal. cap. I. vetuſtum Arabum errorem renovans, fermentum illud Helmontio memoratum, ipſummet humorem melancholicū pronunciaret, nec ut Petrus Borellus, Med. Caſtrenſis, multæ induſtriæ Cent. II. obſ. Med. pſyſ. I. bilem ad inſtar aquæ fortis acerrimam & ferveſcentem ſubſtitueret, nec denique ut doctiſſimus Caſtellus mixturam ſucci melancholici cū proprio ventriculi fermento comminiſceretur. Hic enim ſatis probam & eruditā foviſſet ſententiam, ſi ſolo hoc contentus eſſe maluiſſet. Recte enim credebat, ex chyli parte aliqua à coctione in ventriculo relicta, & aceſcente, fermentum generari, ſapienti Naturæ providæ inſtituto, nō ſecus, ac arte piſtoria ex maſſæ farinaceæ cruda portio-

ne,

ne, aliquandiu adservata, & acescente, fermentũ vulgare fieri solet, panificio aptũ, quo exemplo in hac ipsa materia Galenus quoque utitur lib. de consuetud. cap. II. nec nuper adeo displicuit viro eruditissimo Thomæ Vuillis, Medico Oxoniensi, Diatrib. de ferment. cap. V. Recte etiam fermentum hoc humorem quendam acidum, spiritu fermentatore turgidum appellabat, quem V. C. Daniel Sennertus, in proprio liquore latentem, verius ἀνάλογον τῷ τῶν ἄστρων στοιχείῳ, quam igneum adserebat, eleganti epistolâ ad virum cultissimum, Anton. Guntherum Billichium perscripta, qui tunc de fermentatione, ex Platonis mente, dissertationẽ occoeperat, quanquam eandem in rem suam adducat etiam Galenus lib. I. de simpl. med. fac. cap. XXXV. & plurimis in locis eiusdem haut obscure meminerit Cous senex. Quemadmodum igitur spiritum hunc varium in variis animalibus diversæ operationes testantur, ita non male Helmontius per singulas illorum species, fermentum quoque, ceu vulgo loquuntur, specificè distinctum monet. Hinc certe ratio desumi potest, cur struthiones æs & ferrum, canes ossa, gallinæ aurum & argentũ, lumbrici & chelydri terrã, viperæ ranas & mures, lucii pisces minores & bufones integros, nî penitus concoquere, at saltem resolvere queant.

quod sæpius experti sumus. Vt verò hæc varietas nequidquam obstat, quin omne hoc ventriculi fermentum in omnibus animalibus acidum deprehendatur, ita in rupicapris quoq; tale exsistere Ægagropili luculentissime docent. Nam & olfactu & gustu, præter saporem odoremq; aromaticum, subacidi quidpiam manifeste referunt, quod nos in omnibus, quotquot hactenus videre licuit, observavimus, nec olim Cl. Bauhinus tr. de lap. Bez. cap. XIII. dissimulavit, quamvis causam aut ignorârit, aut saltem prætererit. Adeo verum hîc quoque est, quod Plinius habet lib. XIIX. cap. XI. *Palam Naturâ esse, acore fermentari.* Nam licet Billichius, supra laudatus, anatom. ferm. Plat. cap. IIX. acorem non verã fermentationis causam evincere conatus fuerit, acida tamen præ dulcibus, acribus, amaris, salsis, aliisque sapidis succis, fermentandi facultate pollere, prompte concessit, & erudite exposuit V. C. Hermannus Conringius, sæculi nostri decus, Exerc. ad Billich. §. CIIX. Cæterum ut hinc fermentum acidum in rupicaprarum ventriculis contentum, Ægagropili materiam cum plantis alpestribus constituens, humorem naturalem esse planum apparet, ita obscurũ, dictuque difficile fateri cogimur, quo modo, & qua proportione illius substantiam ingrediatur.

Si

Si enim ſecundum Naturam ſe haberet, ea, qua pollet, vi fermentandi & reſolvendi, plantas depaſtas in chylum potius, quam pilas convertere deberet. Non poteſt igitur commodius hoc explicari, quam ſi fermentum illud in Ægagropili generatione ſecundum naturam bene conſtitutum pernegemus. Jam ſupra enim monebamus, eam reſpectu rupicaprarum aliquid præter naturã eſſe, quod morbum arguat, aut ſaltem non multum à morbo abludat. Certe ejusmodi fermenti vitia Caſtellus etiã in ventriculo humano agnoſcit, ad quæ Hippocratis aphoriſmum primum in ſexta ſectione perdocte exigendum cenſet, quo *diuturnæ lienteriæ accedens ructus acidus bonum ſignum* pronunciatur, ut jam quid olim Paracelſus, & nuper Helmontius hac de re memorârint, volentes tranſiliamus, quia uterque, ceu hominum id genus ſolet, plerumque bonis mala, & vero fabulas, præter ineptias, & nebulas vocabulorum admiſcet. Ut ergo ſententiam noſtram liberius exponamus, ter geminum modũ conjicimus, quo illud ventriculi fermentum peccare queat, ad Ægagropilum conſtituendum. Aut enim nimiâ ſeu copiâ ſeu acrimoniâ excedens, adfectum bulimo ſimilem excitare poteſt (quemadmodum in homine ad mentem Hippocratis & Galeni, Caſtellus

advertit) ut eo ſtimulatæ rupicapræ maiorẽ conſuetudine ſua plantarum quantitatem ingerant, quæ ruminationi neceſſariæ inepta (ut fibræ ſuperſtites teſtantur) dum in ventriculo moratur, & partim à fermento reſolvitur, partim nondum ſatis commanſa, integra permanet, accedente etiam ſucco lapidifico dicto, in maſſam illam compingitur, Ægagropili nomine à nobis inſignitam, quæ ratio in grandioribus, & pugni magnitudinem æquantibus præcipue locum habere videtur. Aut minori, quam par erat, copià generatum, minusve ſpirituoſum, quamvis paſtura modum non ſuperet, non tamen ſatis eſt, perfectæ plantarum reſolutioni, quam idem ſuccus λιθοπαγητικὸς superveniens non impedit modo, ſed omnino pervertit. Aut denique licet nec copiâ, nec acrimoniâ excedat, nec etiã diminuatur, vim ſuam, ab hoc ipſo ſucco lapidifico depravatum, amittere poteſt, ſive ille in plantis ipſis lateat, ſive ex potu aquarum alpeſtriũ, aut linctu ſalis arenacei accedat, ut ſupra dicebamus. Haut male enim Sennertus & Moccius ad Chemicorum mentem Naturæ ſalinæ hunc prodiderunt. Apud hos vero certũ, ſatisque notum eſt, liquores quosdam acidos ſalibus adfuſos, non quidem omnino deſtrui (ut quidam abſurdè loquuntur & ſentunt)

unt) ſed tamen refringi, coagulari, &, ſi volatiles ſint, figi. Quo accidit, ut partes quidem plantarum teneriores & ſucculentiores fermentũ reſolvat, ſed fibroſas, ceu duriores & lignoſiores intactas relinquat, omnes autem exſuperans ſuccus ille ſalinus & lapidificus, in unum veluti glomum convolvat, duriori quotidie cortice veſtiendum, niſi maturior venatio mortẽ animali accelerârit. His ita ſuppoſitis, facile eſt, de proportione aliquid conjectare. In grandioribus enim dubio procul fermentum, plantarum ſucco & fibris præponderat, in cæteris vero aut æqualem fere mixturam, aut ſucci & fibrarum plus quam fermenti adeſſe vero ſimile apparet. Unde de viribus fortaſſe rectius, quam ex colore, judicare licebit, quem nigrum Bauhinus reliquis præferebat. Quanquam ſi hunc fermento adſcribere fas ſit, noſtrâ quoque ſententiâ Ægagropili nigricantes cæteris antecellent, cũ potiores in illo virtutes reconditas credamus, ob cauſas ſupra jã commemoratas, hi autem ex hac hypotheſi illius plus, quã ſucci ex plantis confecti haut dubie contineant; ut è contrario cinericii plus ſucci quam fermenti, cæteri autem, prout ad hunc aut illum colorem propius acceſſerint, æſtimandi videantur.

antur. Nec omittenda, paucissimis cognita nullique dum memorata, observatio nostra, de pessima consuetudine venatorum, Ægapropilos recens ex animalium ventriculis extractos fortissime manibus comprimentium, ut succus, quo tum abundant, lentus, ceramque liquatam substantiâ fere referens, tanquam inutilis effluat, quem tamen præstantissimum & efficacissimum esse, abunde ex dictis constat, ut quo fermenti plurimum latere nullum dubium exsistat. Cæterum ex hisce omnibus jam satis manifestum est, Ægagropilos respectu animaliũ, cũ præter naturam generentur, nullum usum habere, quem finẽ cui philosophi appellant. Nam finis qui vulgo dictus ab ipsa illorum forma nil differt. Nec tamen propterea impedit, quin homini plurimum præstare queant, ut supra monebamus. Hunc ergo accuratius investigare operæ pretium fuerit. Non potest autem commodius id fieri, quam si de temperamento & qualitatibus illorum, ante omnia certiores simus. His enim præmissis, dictu haut multum difficile futurum credimus, quibus humani corporis adfectibus præcipue convenire possint. Quod primas igitur qualitates elementares attinet, nos Ægagropilos calidos & siccos existimamus, sive in fine secundi gradus, sive tertii ini-

tii initio. Quod vero ſecundas à primis dependentes concernit, tenuium partium pronunciamus, aperientes, rarefacientes, leviter tamen adſtringentes, diaphoreticos, & ureterum maxime reſpectu anaſtomoticos, attenuantes, & extergentes proprie dictos, quos Græci ἐκφρακτικοὺς vocant. In tertiis, integram actionem conſtituentibus, diureticos, hidroticos & ſemen genitale augentes aut ſaltem foecundantes. In occultis autem, quæ quartæ nominantur, alexipharmacos, plurimisque corporis humani partibus ſingulariter dicatos, Cephalicos nimirum, ophthalmicos, pnevmonicos, cardiacos, ſtomachicos, hepaticos ſplenicos, meſentericos, nephriticos, hyſtericos, & arthriticos ſive nevriticos. Quæ omnia non tam ex doronici-, quam aliarum plantarum alpeſtrium & odoratarum facultatibus, nec non fermenti ventriculo rupicaprarum proprii natura, ſupra expoſita, luculentiſſime apparent. Nec enim neceſſarium videtur, ut, quod plerique faciunt, ſignaturam vulgo ſic dictam, prolixius adducamus, quam olim Io. Bapt. Porta in plantis phytognomonicen rectius appellatam, peculiari opere perdocte commendabat, & antiquiſſimis Ægyptiorum Medicis conſuetam non ita pridem obſervavit, inuſitatæ eruditionis, ſummæque humani-

tatis vir, Athanasius Kircherus, ὁ πάγγλωττος, tom. II. part. II. Oedip. Ægypt. clas. IX. cap. III. num. II. Nos enim hanc neq; omnino adspernandam, neq; ut fieri amat, anxie quærendam censemus. In Ægagropilis autem, præter figuram externam, quæ variat, eandem semper deprehendimus. Nam quod interdum coriaceis, interdum lignosis, raro lapideis, corticibus innumera propemodum filamenta fibrosa, cum succo plantarum fermentatione resoluto, compacta seu cõvoluta, figurâ frequentius oblongà, rarius rotundâ, conclusa exhibeat, probabili argumento est, hoc ipso non tantum caput, quo cerebrum plurimis venulis arteriisque conspersum, meningibus & cranio continetur, sed omnia omnino viscera, in quibus multa vasorum distributio aut collectio cernitur, aperte signari, qualia sunt hepar, lien, pulmo, pancreas, mesenterium, uterus, & quod externa quorundam conformatio præcipue ostendit, cor etiam, & renes, quemadmodum ex iconibus apparet. Hinc autem sponte elucescit, quibus in morbis utile medicamentum præbere queant, quos ideo tantum hîc recensere placet. Ex universalibus igitur, totumq; corpus occupantibus, omni febrium generi conducere possunt, in quo sudores moventia indicantur, maxime tamen quartanæ in-

næ intermittenti, & hemitritæo, nec non ob vim præcipue alexiteriam, febribus malignis & pestilentibus, exanthematibus seu variolis & morbillis vulgo vocatis, ut & peticulis, lui Hungaricæ, sudori Anglico febri malignæ cum spasmo, qualis cIↃ IↃ XCVI. in Germania nostra grassabatur, alterique cum catarrho & tussi, quæ cIc IↃ LXXX. universum prope terrarum orbem pervaserat, atq; in primis pesti, in qua tam præservandi gratia, quam etiam curandi, feliciter usurpatos experientiâ constat. Ex particularibus autẽ, vi siccandi eximia hydrocephalo, diaphoreticâ deinde & reconditâ cephalalgiæ & hemicraniæ, Cataphoræ, vertigini, memoriæ imbecillitati, amentiæ ex frigida & humida cerebri intemperie prognatæ, melancholiæ, in primis hypochondriacæ, eroticæ, & hystericæ, maniæ, hydrophobiæ, lethargo, tremori à facultatis motricis imbecillitate suborto, paralysi, convulsioni, incubo, Catalepsi, epilepsiæ, apoplexiæ, catarrho, oculorum & aurium adfectibus, quicunque à cerebri frigiditate nascuntur, in primis visus debilitati & tinnitui auriũ, linguæ paralysi, balbutiei, & blæsitati ex nimia humiditate oriundę, aphoniæ, ptyelismo à cerebro & vẽtriculo, phthisi, tã catarrhi, quã ulceris ratione, pleuritidi, maxime malignæ, asthmati, tussi materiæ malignitate pertinaciori, cordis palpitationi, lipothymiæ, syncopi,

anorexiæ, picæ, concoctionis læsioni, singultui contumaci, nauseæ, vomitibus, coli doloribus, lienteriæ, coeliacæ, diarrhoeæ in primis à cerebro, aut ex hypercatharsi & venenis, dysenteriæ, pancreatis, mesenterii, hepatis & lienis obstructionibus, à quibus cachexia & hydrops, ictero nigro, adfectioni hypochondriacæ, calculo renum, impotentiæ virili, gonorrhoeæ, uteri flatulentiæ, imbecillitati, & dolori, fluori muliebri, morbo virgineo, præfocationi uterinæ, melancholiæ mulierum, sterilitati, partûs difficultati, secundinis morantibus, torminibus à partu, menstruorum & lochiorum suppressioni, arthritidi, luivenereæ, sanguini concreto ex casu, venenis omnibus, exceptis quæ acrimonia potius erodunt, quam vi occulta enecant, philtris, & veneficiis sive incantamentis. Hæc sane promissa, ut speramus, nemo prudentiorum nimia incusabit, si modo, quæ supra, de duplici Ægagropilorum materia dicebamus, in mentem sibi revocari patiatur, atque præterea cogitet, his longe plura & maiora â vulgo lapidibus Badzahardicis adscribi, ad quos iccirco hos quoque, communi omnium sententiâ, Germanicos dictos, non plane ab re Cl. Bauhinus referebat. Nec enim eo animo in medium prolata volumus, ut nullo causarum discrimine aut

nulla

nulla circumſtantiarũ conſideratione, neglectis methodi legibus, & univerſalium neceſſitate poſthabita, in uſum ducenda exiſtimemus, quin potius hæc omnia accuratiſſime obſervanda contendamus. Quo facto, nec modus, nec tempus exhibendi valde obſcurum eſſe poterit. Hoc certe ſcopi varietas ex arte deſignabit, ad illum vero pondus præcipue ſeu doſis & vehiculum cum formula pertinet, de quibus pauca ſubjungere decrevimus. Quod ergo ad pondus ſpectat, non debet id noſtrâ ſententiâ à doſi lapidis Badzahardici diverſum conſtitui, quandoquidem eædem fere utriuſque vires comperiuntur. Hanc vero quamvis multiplicem diſcrepantes ſcriptorum opiniones determinârint, quas in compendiũ redegit Cl. Bauhinus tr. de lap. Bez. cap. XXIX. placet tamen & nobis ab omnibus receptum pondus granorum X. aut XII. ad doſin communem definiendam. Qui enim XI. eligere ſolent, plerumque aut imparis numeri ſuperſtitione id faciunt aut vulgi ægrotantis ingenio aliquid connivendo permittunt. Qui vero multum infra ſubſiſtunt vix aliquid memoratu dignum efficiunt, quemadmodum qui virum doctiſſimum Iacobum Primeroſium ſequuti lib. IV. de vulg. error. in Med. cap. XXXVII. ad drachmas inte-

gras progrediuntur, tantum non obruuntNaturam,& dum incauti vitant vitia, in contraria currunt. Eſt tamen, ut mox patebit, cum extra ordinem integrum ſcriptulum adſumere fas erit, quæ noſtrâ ſententiâ ſumma doſis habebitur, medicamenti ex ſe leviſſimi, & lapide Batzahardico haut parū levioris. Nec enim in omnibus adfectibus neceſſe eſt idem pondus perpetuo obſervari, cum alii celerē opem expoſcant, alii morā ferant, & repetita auxilia admittanr, nonnulli præterea facile, quidam vix efficaciſſimis remediis pellantur, At vero ætatem huc trahere ſuperfluum videtur, quæ Medici prudentiæ extemporali commodius relinquenda, Nec gradibus quidquam opus, per quos nonnulli paullatim adſcendere, & deſcendendo regredi jubent, velut thermarum potatione fieri ſolet,eo ipſo ridiculi,quod harum, & Ægapropili natura plurimum diverſa; nullusque hîc metus ſit præcipitis tranſcurſus ab uno ad alterum extremum, qualem aquarum copioſa ingurgitatio inſuetis moleſtum redderet, nî ſenſim increſcens quadam quaſi adſuetudine ventriculum demulceret. Quæ omnia, ut melius percipiantur, ſimulque & formula, & vehiculum conveniens innoteſcat, non pigebit per ſingula adfectuum genera,ſupra enumerata,ire. Hoc autem præfandum duximus, quamvis & nobis non di-

diſpliceat cenſura doctiſſimi viri Io. Chryſoſtomi Magneni, in Ticinenſi Academia Regij Profeſſoris, Exerc. V. de tabac. §. IV. qua formulas Medicinales à Io. Neandro adlatas, ob nimiam farraginem perſtringit, non tamen iccirco ſatis concludi, nihil omnino baſi, quam ſimplex, de quo ſcribitur, conſtituit, abſque crimine admiſceri poſſe. Ne tamen Ægagropili efficaciæ diffiſi videamur, ſic additamenta noſtra moderari conabimur, ut nemo his potius, quam illi, effectum jure adſcribere queat. In febribus igitur pro ſudorifero gr. x. aut xij. exhiberi poterunt accurata inciſione in pulverem redacti ex aqua oxalidis & Cardui benedicti, cum modico ſerapii ex moris rubi Idæi. Quartanæ, quæ plerumq; contumaciſſima, gr. xv. dentur ex vino Cretico, aut alio generoſo, quale & Græcum ſalſum, laudatum Corn. Celſo lib. III. cap. XVI. Hemitritæo gr. x. ex aq. Galegæ aut ſcabioſæ dentur cum ſerapio Intubi aut Cichorii. Febribus malignis, peticulatibus, & peſtilentibus gr. xij. aut xv. ex aqua Tragopogonis Hiſpanici, qui vulgo Scorzonera, cum ſerapio ex toto malo Citrio parato. Variolis & morbillis, ætatis ratione inita, quantum videbitur, ex aqua fœniculi, calendulæ aut fumi terræ, cum ſerapio ſcordii. Lui Hungaricæ ex aqua ange-

angelicæ aut petasitæ, cum serapio Cardui benedicti. Sudori Anglico, ex aqua pimpinellæ aut Chærephylli cum julapio Sambucino. Febri malignæ cum spasmo ex aqua rutæ aut Imperatoriæ cum succo baccarum Juniperi densato. Eidem cum catarrho & tussi ex aqua helenii & succisæ cum serapio Chamæcissi. Pesti vero ad gr. XV. aut ℈j. integrũ dare convenit curationis gratia; ex aqua Theriacali, aut Bardanæ composita cum serapio florum aurantiorum aut Corticum Citriorum. Nam præservationi sat erunt grana iij. jv. aut v. ad summum ex vino, quotidie aut aqua Carlinæ & millefolii, aliave adsumpta, adjecto pauxillo Confectionis Alkermes aut Hyacinthinæ. Hydrocephalo quoque, quod diuturno usu cerebrum roborare & siccare magis necesse sit quam sudoris gratia bis tantum aut ter exhibere, gr. jv. aut v. quotidie propinari poterunt ex aqua amaraci aut thymbræ, cum serapio betonicæ. Cephalalgiæ & Hemicraniæ aliquoties grana x. aut xij. dentur ex aqua anthûs, aut florum Caryophyllorum in qua nonnihil Conservæ flor. salviæ solutum fuerit cum transcolatione. Aut totidem cum Conserva Cephalica in bolum efformentur qui biduo aut triduo ante præcipuas Lunæ phases deglutiendus. Ad has

enim

enim plerumqu; diuturnos capitis dolores, aut periodis insultare, aut, si continui fuerint, exacerbari observavimus. In nares etiam, ad instar errhini attractum pulverem seu solum, seu aquæ amaraci immixtum efficacem fortuitus nos casus docuit, & proprium experimentum. Cataphoræ gr. xi exhibeantur ex aqua serpilli cum vino destillata, admixto mellaginis Anacardinæ pauxillo. Vertigini curandæ totidem ex aqua flor. tiliæ aut liliorum convallium cum serapio Coralliorum. Nam præservandæ jv. aut v. quotidie suffecerint ex jusculo aut vino generoso. At vero memoriæ imbecillitati, mixturæ cuiusdam diuturnior usus conferet, ex Conservis cephalicis, quibus ea proportione pulvis adjiciatur, ut dosin quotidianam jv. aut v. grana ingrediantur: quod etiam de amentia tenendum. Melancholiæ autem & adfectioni hypochondriacæ ex conservis Cardiacis per intervalla exhibeatur inter usum decocti alicuius convenientis ex lignis & radicibus, de quibus Paulus Zacchias, Archiatrus Romanus lib. I. de mal. hypochondr. cap. XXIX. perquam erudite, verum ad leges Chemicas parati, quod observata legitima victus ratione & universalium methodo, omnibus scopis abunde satisfaciet. At quam philtrorum pernicies

eroticam induxit, potiunculæ ſudoriferæ felicius ſuperabunt ex gr. x. aut xij. cum aqua naſturtii aut vincetoxici & ſerapio flor. hyperici concinnatæ, quemadmodum hyſtericam eadem doſis ex aqua meliſſæ aut matricariæ cum ſerapio artemiſiæ propinata. Nec alia Maniæ ratio, & Hydrophobiæ, quibus eadem quantitate ex aquis & ſerapiis ſudoriferis dari poteſt. Ut & Lethargo, cum cerebrum roborandum eſt, ac tremori, quem facultatis motricis imbecillitas ex frigida & humida illius intemperie induxit, nec nō paralyſi & convulſioni, quæ ſuam originem ex eadem parte habere ſolent. Incubo tamen præter Cephalica, Cardiaca adjiciantur. Catalepſi calidiora & penetrantiora eligantur, ut ſpiritus liliorum convallium, aut roriſmarini. Epilepſiam Auguſtæ hîc vidimus, ſolo Ægagropili pulvere, aliquoties exhibito, à celebri Empirico, in puella, jam nubili, perfecte curatam poſtquam quadriennio integro omnis Medicorum opera fruſtra fuiſſet. Dari poteſt ad gr. xij aut xv. Imo & ad ℈j. ex aqua Ceraſorum nigrorum aut flor. tiliæ, cum ſerapio flor. pæoniæ mixta. Apoplexiæ ſive â ſeri colluvie, ſive à ſanguinis effuſione in cerebrum oriatur, quam *ictum ſanguinis* pulcerrime appellat Sext. Aurel. Victor Epitome, qua de Luc. Ann. Vero Imper. noſtrâ experientiâ egregie medebitur

debitur post V. S. & clysmata, ad gr. x. aut xij. aliquoties exhibitus pulvis cum serapio flor. pæoniæ, & aqua Chærephylli. Nec enim tantum roborat, sed etiam discutit, sudores movet, & grumos sanguinis efficacissime resolvit. Catarrho autem & oculorum, auriumque adfectibus frigidis, par dosis, cephalicis calidis contemperata auxiliabitur. Visus debilitati eadem ratione ex aqua Euphrasiæ aut fœniculi cum serapio Cichorii conducet. Ut & linguæ paralysi, balbutiei, & aphoniæ, ex aqua primulæ veris cum serapio Cinnamomi. At ptyelismo potius ex Conserva flor. salviæ cum serapio Mastichino dabitur, ut diutius in ventriculo subsistere possit. Quemadmodum & Phthisi ex Conserva Chamæcissi & serapio pilosellæ. Pleuritidi ex aqua Cardui lactei aut urticæ cum serapio papaveris erratici. Asthmati & tussi ex aqua hyssopi aut thymi cum serapio marrubii, & tussilaginis, adjecto etiam Croci momento. Cordis palpitationi, lipothymiæ, & syncopi, ex aqua melissophylli aut ocimi, cum pulpa Cocci Baphicæ recens ex Galliis advecta. Anorexiæ, picæ, concoctionis læsioni, singultui, nauseæ, vomitibus, aliisq; ventriculi noxis ex Conserva absinthii Pontici, cum serapio menthæ. Coli doloribus ex aqua pulegii aut abrotoni cũ serapio Chamæmeli,

 & ali-

& aliquot guttulis ſpiritus è Tartaro purgato prolecti. Lienteriæ, Coeliacæ, diarrhoeæ, ex Conſerva roſarum rubrarum, cum Miba cydonio aut ſerapio Coralliorum. Dyſenteriæ ex aqua & ſerapio fragorum feliciter propinatum novimus: fortaſſe quod diureticâ facultate acrem materiam divertendo evacuârit, quem ſcopum, poſt alios, commendat Guilelm, Fabricius Hildanus tr. de dyſent. c. IX. quanquam & adſtringendo, & ſiccando, hîc profuiſſe queat; imo & ſudores ciendo, ut de lapide Badzahardico tam propriâ quam Philiberti Saraceni, Medici Lugdunenſis celeberrimi, experientiâ Idem monet cap. X. Pancreatis, meſenterii, hepatis, & lienis obſtructionibus expediendis, ex aqua fumariæ aut cochleariæ, cum ſerapio ſcolopendrii detur, inſtillatis aliquot ſpiritus mineralis guttulis. Hydropi pariter ex aqua Chalcanthina magno ſucceſſu exhibitum à fide dignis accepimus. Nos tamen ex ſerapio abſinthij daremus, cum pauxillo ſpiritus Salini, aut Chalcanthini. Ut Ictero nigro ex aqua naſturtii, aut raphani cum ſerapio fumi terræ. Calculo autem è renibus proturbando, ex aqua linariæ aut ononidis cum ſerapio fragorum ſeu capillorum veneris, unaque aut altera guttula ſpi-

ritus;

ritus ſalis marini. Impotentiæ virili ex ſerapio conditur æ radicum Satyrii, cum pauculis granis Eſſentiæ Ambari ſiccæ Gonorrhoeæ ex aqua nymphææ aut plantaginis majoris cum ſerapio Coralliorum. Vteri flatulentiæ, imbecillitati, & dolori ex aqua meliſſæ aut artemiſiæ cum ſerapio Chamæmeli, aut mellagine anthûs. Fluori muliebri ex Conſerva Galeopſeos cum ſerapio adſinthij, aut etiam ex aqua fol. quercus & roris marini cum ſerapio ex roſis ſiccis confecto. Morbo Virgineo ex aqua petroſelini aut alia aperiente, cũ ſerapio Cinnamomi, & guttulis ſpiritus ſulfurei. Præfocationi Vterinæ ex vino Cretico, aut aqua Ceraſorum nigrorum cum ſerapio betonicæ, aut ex Conſerva meliſſophylli. Sterilitati ex Conſ. majoranæ & flor. ſalviæ hortenſis. Partus Difficultati, & ſecundinis morantibus ex aqua Liliorum alborum aut Chamædryos cum ſerapio cinnamomi. Torminibus à partu, & menſtruorum lochiorumque ſuppreſſioni ex aqua Cinnamomi & meliſſæ cum vino deſtillata, & ſerapio Chamæmeli. Arthritidi ex aqua aliqua ſudorifera aut decocto radicis Sinenſis ad leges Chemicas parato, in quo Conſerva aliqua convenieus ſoluta fuerit cum tranſcolatione. Nec reticenda

hîc facilis curatio, Empirico cuidam, cum Romæ degeremus, olim usitata, quamvis ingentis arcani fide nobiscum communicata, qui tamen nostra omnia publicis commodis sacravimus. Parabat is vaporarium ex foliis hederæ arboreæ aqua incoctis, ægrotantibus autem ante ingressum pulverem exhibebat ex Agarico, radicibus pyrethri, victorialis, & doronici, nec non ex Ægagropilo nostro compositum, quo sudor non tantum copiosissimus pellebatur, doloribus tumoribnsque discussis, sed alvus quoque finito balneo haut raro pituitosi humoris plurimum dejiciebat. Cæterum & lui venereæ non minus, quam arthritidi, conferre poterit, ut reliqua etiam sudorifera, vi alexicaca dotata. Sanguini autem concreto, á casu, dissolvendo ex aqua Chærephylli, aut halicacabi detur cum serapio acetoso. Venenis denique, & veneficiis, re exigente, etiam ad scriptulum integrum, ex aquis & serapiis alexipharmacis propinetur, ut Cardui benedicti, succisæ, Imperatoriæ, vin cetoxici, scordii, malorum Citriorum, aliorumque, quorum ubivis magna prostat copia, Nec enim hæc ideo in medium attulimus, ut iis solis contenti esse debeamus, aut quod alia nefas fuerit admiscere, sed ut exemplum daremus vehiculorum, quæ rato sola vi sua propria præ-
ctis

ctis adfectibus curandis sufficiunt, neque exiguâ quantitate, qua hîc præscripta sunt, Ægagropili virtutibus prævalent, sed singulari tantum familiaritate ad partes laborantes deducunt. Quid vero arte ex Ægagropilis fieri aut elici queat, qua hodie plerique multo labore & industria, plerumque tamen exiguo, parumque fido ingenio desudant, quæsitu inutile & superfluum judicavimus, cum ipsa illorum generatio, ut supra ostendebamus, non aliud, quam Chemicam quandam operationem aperte repræsentet; itaut, si quis solas fibras exceperit, quæ à reliquo pulvere & cortice facile separari possunt, & sane lignosæ nulloque sapore & odore præditæ esse solent, medicamentum cæteroquin sit habiturus, cuivis Essentiæ aut Magisterio, ut vulgus vocat, longissime præferendum. Certe optandum, ac inter desiderata scientiarum artiumque merito referendum existimamus, ut illi, qui se Spagiros, Græco vocabulo honestandos contendunt, deinceps non tam de segregatione partium, quam apta congregatione solliciti esse vellent, & hac in re Naturam præeuntem sequi aut imitari non gravarentur, quæ succos è plantis, nec igneos tantum prolicit, nec multâ aquâ dilutos

corrumpit, nec acerrimis liquoribus corrodit, ſed propriis fermentis benigne reſolvit, nec poſtea in calcem inſipidam pręcipitat, ſed ſpiritu ſalino tantum fixiores redditos, integris viribus, in unam veluti maſſam coägulat & compingit. Cæterũ, ut præſtantiſſimis uſibus dicata medicamenta plurima, peſſimo vulgi deſipientis abuſu profanantur, ita & Ægagropili à quibusdam vaniſſimæ perſuaſioni adhibentur. Sunt enim, qui pulverem mane jejunis datum XXIV. horarum ſpatio ſumentes, ab omni armorum genere aut hoſtium inſultu incolumes ſervare credant, quod alii ipſis quoque doronici radicibus impie luſtratis effici putant. Sunt etiam ex venatoribus nonnulli, ut homines plerumque in omnem ſuperſtitionem proclives, qui globulos plumbeos, inter fundendum, eodem pulvere in medio repleant, ut certiori ictu cum rupicapras, tum reliquas feras figant. Hoc tamen, in tanto nitrati pulveris impetu, nec magnetiſmi ratione, nec ullo alio argumento Naturæ viribus conveniens probari poteſt. Illud vero ad vanas & ſuperſtitioſas ſanitatis obſervationes pertinere, jam dudum, ad mentem Thomæ Aquinatis, præclare oſtendit Leonardus Leſſius lib. II. de Iuſtit. & jur. cap. XLIII. dub. X. Utroque vero ſimilius videri

poſſet,

possset, quod quidam eundem pulverem mane exigua quantitate jejuno exhibitum à fame sitique præservare adfirmant, nisi id quoque imaginationi potius, quam causis Naturalibus, tribuendum esset. Multa quidem non sine eruditione ex Hippocrate, Erasistrato, Galeno, Ebn Sina, aliisque adfert Io. ann. Langius. lib. II. Epist. Med. XXIIX. ut medicamenta vererum ἄλιμα καὶ ἄδιψα dicta exponeret & illustraret, nec pauciora, qua erat doctrinæ præstantia, ex Theophrasto, Solino, Plinio, adducit politioris literaturæ Medicus, Marsilius Cagnatus lib. I. de contin. seu san. tuend. cap. IIX. Sed cum hic hominem triduum aut quatriduum, in fame & siti, nullo externo auxilio, ducere posse fateatur, ille vero Græcorum laute prandentium festivitatem, quam Plutarchus lib. VI. Sympos. quæst. IV. βουλίμου ἐξέλασιν vocatam refert, frequentius celebratam, remediorum optimum haut vano augurio, pronunciet, quis porro dubitet, eiusmodi virtutes, medicamentis adscriptas, ex voluntate potius sumentium pendere, quam propria Natura? Nec enim de illis nunc loquimur, quæ famem sitimque præter naturam auctam pellere comperta sunt, ut meri potio apud Hippocratem II. aphor. XXI. nec quæ pinguedine os ventriculi relaxant, ut oleum vio-

laceum aqud Ebn Sinam lib. I. ſect. III. doctr. V. cap. II. Hanc enim in Ægagropilis nullam omnino deprehendes. Naturalem autem alimenti tam ſolidi, quam liquidi appetitum non ſedant aromatica, ſed excitant & augent. Imo nec ſatis apte huc trahi poſſunt, quæ V. C. Io. Chryſoſtomus Magnenus Exerc. IX. de tabaco. §. 1. de ſpiritus vitalis animalisq; denſatione & conſervatione producit, quamvis enim Ægagropilis & vim alexipharmacam, & ſpiritus omnes reficiendi inſignem facultatem ineſſe lubenter fateamur, quæcunque tamen de lentore, & tardiori illius effluvio aut diſſipatione eleganter diſſerit, ſi rectè inſpiciantur, ut ingenioſè decernit Franc. Baconus Baro Verulamius Cent. III. hiſt. Nat. experim. DCCCCXXVII. ad vim tabaci narcoticam, nec aliam, pertinere comperientur, quam nos in Ægagropilis nullam omninò agnoſcimus. Poſtremo hoc etiam monendum duximus, non minus vanam nobis videri venatorum quorundam opinionem, illos Ægagropilos præſtantiores judicantium, quos rupicapræ menſtruo fere ſpatio, intra diem XV. menſis Auguſti, & IIX. Septembris circumſcripto, quam alio tempore, captæ ſuppeditant. Nî enim falſo, at ſaltem dubio & plane incerto id fundamento niti-

nititur, de quo ſupra jam ſatis egimus, ſolas nempe doronici radices Ægagropilis materiam præbere, Communi autem vulgi ſententia receptum eſt, tum temporis radices omnes, & ſucculentiores, & efficaciores eſſe. Quod ſane uti nemo, Naturæ conſultus, inficiatur, ita exactiori animadverſione indiget, & tamen nil facit ad præſens inſtitutum. Nimirum tempus illud non tam dierum numero definiendum eſt, quam aſtrorum quorundam anniverſario ortu quiſive ſignum ſive etiam cauſa exſiſtit, ut fructibus ſeminibusq; plantarum ad ſummam perfectionem & maturitatem perductis, ceſſante attractione ſuperiorum partiũ, ſuccus illarum alimentarius in radicibus reſtagnet. Id nos ab ortu caniculæ heliaco uſque ad ortum coſmicum Arcturi deſignandum putamus. Sub illum enim æſtatis apud nos adultæ declinatio incipere ſolet, hunc vero auctumni initium deſcribit Hippocrates ipſe, aut quisquis illo non multum recentior auctor eſt tertii de victus ratione, & Plato quoq;, Heſiodũ ſequutus octavo de legibus, τὴν ὥραν τὴν τοῦ τρυγᾶν ἀρκτούρῳ ξύνδρομον conſtituit, quod tamen haut absq; ratione mirabaur Hermannus Vitechindus, aſtrorum ſcientiâ celeberrimus. Nam ſtellas fixas à verna ſectione, qua ſeriem

 nume-

numerumque partium Eclipticæ ordimur, recte monebat serpere quodammodo super polis Zodiaci in consequentia, sive secundum successionem signorum, hoc est, ab occidente in orientem, ita ut inde ad nostrum ævum plures jam gradus progressæ comperiantur, pariq; propterea spatio post se relictis dodecatemoriorum gradibus, quos tunc tenuêre, in tanto posterioribus Eclipticæ gradibus nunc oriantur & occidant, adeoque non idem, quod antiquioribus, tempus ortu & occasu suo, sed serius, significare queant. Hoc enim nostræ sententiæ nil obstat, qui tempus illud, experientia adstipulante, non arctandum, sed fere usque ad æquinoctium auctumnale, solisve ingressum in libram, extendendum existimamus, quem pauculis diebus Arcturi ortus aut præcedit aut sequitur. Si igitur fingamus, solis radicibus Doronici rupicapras vesci solere, atque ex solis etiam Ægagropilos coägmentari largiamur, quod tamen utrumque falsum supra demonstravimus, quis tamen fidejussorem se nobis sistet, hoc ipso tempore, etiam latius extenso, & radices depastas esse, & pilas illas concrevisse? cùm fieri potuerit, ut vere medio aut prima mox æstate, compingi coeperint, & animalia demum Septembri capiantur. Quod si hoc nemo certis argumentis

probare

probare poteſt, ut ſane nec poteſt, jam ratio à ſucci copia & efficacia in radicibus, æſtate exſpirante, & auctumni initio, reſtagnantis, ſponte evaneſcit. Quod ſi non tam radices, quam herbas, & fruticum ſuprema cacumina rupicapras depaſci diceremus, ut ſupra oſtendebamus, jam è contrario non optimi, ſed omnium viliſſimi eſſent ægagropili, qui ex apicibus plantarum ſenio marcentibus, & ſucco vitali, minus, quam vere, turgidis, progignerentur. Neque eſt, cur aliquis ex ipſis animalibus præſtantiæ varietatem deſumat, illiq; temporis ſpacio accommodare conetur. Quamvis enim de cervis, menſe Septembri captis, notiſſima ſit vulgi opinio, haut parum tamen dubium videtur, quod de peculiari efficacia ad uſus Medicos, præ aliis temporibus, denarrant. Nam quod tum feliciſſimus illorum venatus credatur & frequentiſſimus inſtitui ſoleat, non aliam cauſam habet, quam ab Ariſtotele proditam lib. VI. hiſtor. animal. cap. XXIX. ἡ ὀχεία τῶν ἐλάφων γίνεται μετ᾽ ἀρκτοῦρον, περὶ τὸν Βοηδρομιῶνα καὶ μαιμακτηριῶνα. Hæc vero, nec quidquam aliud, facit, ut cervi tum temporis in venerem ruentes, oeſtroque libidinis perciti, nullam ſalutis aut vitæ curam habere videantur, & odora canum vi facilius inveſtigati in caſſes non tam fuga pellantur, quam furore ſpon-

ſpontaneo incidant. Quod ſane de rupicapris dici non poteſt, ut quarum venationem convenientiſſimam, vulgari, conſuetudine, Ioachimus Camerarius, nec in Auguſtum menſem, nec Septembrem, ſed Novembrem demum refert, quo ſcilicet per alpes vagabundæ, & inſtantis brumæ frigora fugientes, latibula ſibi quærere conſueverunt.

Hæc itaque ſunt, quæ nobis de Ægagropilis hac vice diſſerere viſum fuit. Quæ ſi communi utilitati conferent, haut levi voluptate animum, qui illam ſolam ſpectaverat, adficient. Sin minus, & hæc abſtruſa viribus noſtris maiora quis putaverit, amice tamen moneri ſe patietur: tam jucundum hoc genus exercitationis nobis fuiſſe, quam ipſa rupicaprarum venatio vel maximis Principibus habetur, noſtramq; fortunam venantium conditione eo meliorem eſſe, quod nullo vitæ diſcrimine altius provehamur. Certe ampliſſimus ad veniam regreſſus nobis vel ſola Lectorum benevolentia patebit, ut nullo miraculo indigeamus, quale ſuperiori ævo maximi Imperatoris pietatis meruit, cujus luculentiſſimum monumentum, ſacra Crucifixi imago in antro editiſſimæ rupis, haut procul Cirello, Tirolenſium pago, ſiniſtra, qua hinc Auguſta Oenipontem

itur,

itur, peregrinantibus oſtenditur. Nos ſane de eruditis,& æquis rerum æſtimatoribus nihil ambigimus. Nam reliquos omnes, quicunq; Naturæ, & elegantiorum literarum ignari, ſtudiis noſtris aut invident, aut infenſi ſunt, nos animi ſecuri, veteri Græcorum proverbio, ceu larvas, & inania terriculamenta, εἰς αἶγας ἀγρίους ablegabimus. At alio interim Arabum adagio concludimus:

אן ליס בבאוך אלארוי
ולא ינפט פי הדא אלאמור ענאק

h. e.

Vtique non eſt, ac ſi prodiiſſet capra montana,
Sed nec ſternutat hac in re capella.

F I N I S.

INDEX I.

Forum, qui laudantur, illustrantur, aut emendantur.

Iacob

L *Nicol-*

INDEX

INDEX II.

Rerum & Verborum.

Fermen.

AD-

ADDENDA.

Pag. 37. verſ. 7. cap. CXXXVI.) Quod ſi quis etiam ſiccatas phyllitidis radices Ægagropili interioribus conferre non fuerit gravatus, noſtro periculo utrinq; fibras reperiet tam ſimiles quam neç ovum eſt ovo.

Pag. 48. verſ. 10. exſiſtat) Hæc etiam compreſſio, quod in transcurſu monere placuit unica cauſa videtur, quod vulgò plerique Ægagropili, aut parte ſui aliqua fiſſi dehiſcere, aut rimas agere conſpiciantur.

FINIS



Typographus L. B. S.

PRiori quidem editione huius dissertationis haut parum curæ impenderam, ut quàm emendatissima prodiret, neque minorem recusæ adhibui, ut cum auctario alterius ab omnibus erratis expurgaretur; Et sic tamen quoque nonulla superesse diffiteri non possum. Sed quia leviora sunt omnia, & literulas tantum spectant sive omissas, sive superfluas, sive denique incuriosius permutatas, inprimis in vocabulis quibusdam LL. Orientalium, quarum mihi nativus character deest, rogatum te peramanter velim, ut, cùm auctori fraudi esse non debeant, meis quoque operis, & fortunæ angustiori, benignè condones.

Vale.

GEORGII HIERONYMI VELSCHII.

DISSERTATIO
Medico Philoſophica.
II.
DE
ÆGAGROPILIS.

Quæ nunc primum priori auctarij vice accedit.




TYPIS JACOBI KOPMAIR HÆRED.
JOANNIS PRÆTORII.

CIↃ IↃC LXIIX.

PLATO
In Philebo & Gorgia.

Α καὶ πρότερον ἐμνήσθημεν, δὶς καὶ τρὶς λέγειν τι καὶ ἐπισκοπεῖσθαι.

I




II




III



IV











V



VI




VII



VIII







X




IX





XI



XII



XIII


XIV


XV


XVI


XVII










XIIX



XIX



XX



XXI



XXII



XXIII




XXV




XXVI




XXIX



XXIIX




XXVII



XXIV



XXX



ICONES ÆGAGROPILORUM.

I. *Nigricans ovi ferè anserini magnitudine, cute minus splendente & q. pustulata: pondere* ℨj. *gr.* xvij.

II. *Itidem nigricans.* ℨß. *gr.* xxjv. *cute rugosa splendente.*

III. *Cinerei coloris, quodammodo quadratus, compressis lateribus.* ℨß. *gr.* xvj.

IV. *Niger splendens, superficie aspera, compressus.* ℨß. ʒj. *gr.* xv.

V. *Tertio simillimus, sed minor.* ℨß. *gr.* xxvj.

VI. *Quarto similis, sed parumper crassior.* ℨß. *gr.* x.

VII. *Rotundus, sed altera sua nonnihil depressus, cortice duriori, non tamen ligneo, coloris furvi.* ℨß. *gr.* v.

VIII. *Oblongus, nigricans, striatus, minus splendens.* ℨß. ℈j.

IX. *Quarto similis, asper, compressus.* ℨß. ℈iv. *gr.* jv.

X. *Cinereo luteus, cætera tertio & quarto similis, oblongior tamen & compressus.* ʒiij. *gr.* xxjv.

)(XI. *Ci-*

XI. *Cinereus minor, cortice crassiori quasi reduplicato, medullam, veluti nucleum, includens.* ʒij. *gr.* xxiv.

XII. *Niger splendidissimus cortice pustuloso, primo tenuior.* ʒiij. *gr.* vj.

XIII. *Fuscus ferè cylindroides, maculis altera parte albicantibus variatus.* ʒij. *gr.* xviij.

XIV. *Cinereo flavescens, decimo similis, cortice foraminoso, & fibrillis prominentibus.* ʒj. *gr.* xxxviij.

XV. *Niger oblongus, cortice tamen glabro, sub quo alius furvi coloris.* ʒij.

XVI. *Oblongus compressus, coloris ferè terrei intercurrentibus fibris nigris.* ʒj. *gr.* x.

XVIII. *Niger exiguus, compressus, rotundus.* ʒj. ℈ij. *gr.* jv.

XIIX. *Cinereus oblongus minor fibrillis nigris intertextus* ℈ijß. *gr.* viij.

XIX. *Prunum referens, cortice duro, & superficie inæquali, colore fusco flavescente, fibris & tuberculis nigricantibus interspersis.* ℈ijß.

XX. *Oblongus, fuscus, spongiosus & tanquàm sine cute, fibrosa superficie.* ℈ij. *gr.* xj.

XXI. *Ni-*

XXI. *Niger exiguus pruni ferè Damasceni effigie splendens, ut reliqui.* ʒj. gr. jx.

XXII. *Niger splendidißimus, ovali figura complanata.* ʒij.

XXIII. *Fuscus, teres, cute tenerrimâ, fibris minutis & majusculis intextus.* ʒj. gr. xxxiv.

XXIV. *Amygdaloides cinereus exiguus.* gr. xxiij.

XXV. *Cinereus teres, fibrosus.* ℈iij. gr. ij.

XXVI. *Cinereo flavescens fibrillis conspersus, complanatus.* ℈ij.

XXVII. *Fuscus, glaber, teres, prunum referens.* ℈j. gr. xv.

XXVIII. *Rotundus, fuscus, duro cortice, septimo tamen minor & minus globosus.* ʒj. ℈ß.

XXIX. *Fuscus, globosus, durus, ut Badzahardici.* ℈ij. gr. viij.

XXX. *Parvus nigricans, cute tenerâ hiulcâ, pruni minoris serotini, aut myxarij formâ.* gr. xvi.



ICO.

ICONES PILARVM, ET TOPHORUM EX TAURIS, BOBUS VITULIS, ET CAPRIS CASTRATIS.

Tophi juvencorum coägul res sivè chylosi ex ventriculis boum, proprijs tunicis incincti.

I. Minor albicans.

II. Flavescens, venis nigris.

III. Albissimi succi, folliculo, quo continetur, (separato.

IV. Auriculæ ferè figuram referens.

Lapilli, ex fellè bovis concreti, friabiles.

I. Rotundus major.

II. Tetraëdrus sive triquetrus, rarior.

III. Rotundus minor.


α. *Lapillus ex omento rupicapræ excisus, pendẽs.* ℈ij. g xij.

β. *Pila pilosa ex ventriculo vituli, pondere.* ℥ß. *gr.* jv.


γ. *Tauroporus sive globus bovillus, pilosus, nigricans, splendens, pondere* ℥ß. ʒj. ℈ij. *gr.* viij. *dissectus, ut interiora pateant.*

δ. *Pila ex ventriculo hirci castrati, quadrata sive cubica, cinerei coloris, pendens* ʒ iij. ℈j. *gr.* v. *dissecta, ut pili minutissimi, ex quibus, arctissimè compactis, constat, spectari queant, singulari benevolentia* Viri Nobilissimi atque Excellentissimi Jo. Theodori Schenkij Med. in inclutaSalana Profess. celeberrimi dono nobis data.

I.




II.



III.




IV.



I.




II.




III.



β.




a.



δ.



V.









Etus illud Socratis, & valdè probum: ἀεὶ μανθανόμενος γηράσκω: Imitandum ſanè iis, qui literas amant, ac utinam omnes imitentur! Parit enim & alterum illud non minus pulcrum de curis ſecundis, plus ſapientiæ habentibus præut quam primæ cogitationes habuêre; Quod ideò nos quoque imitabimur. Nam diſſertationem de Ægagropilis pauculis abhinc annis emiſſam, poſtquam multas ob cauſas recudenda erat, ſub incudem revocare operæ pretium exiſtimavimus. Benignius enim acceptam fuiſſe à Magnis quibusdam viris, quos ſumma humanitas & eruditio inuſitata communi reliquorum ſorte exemit, non poterat non voluptate haut levi animum perfudiſſe, ac ad ulteriora incitare, eò utique magis, quo minus amicâ mente nonnullos omnia, præterquam ſua, adſpernantes primam ſcribendi materiem anſamque præbuiſſe recordabamur. Cùm ergò multa interea cognoſcere ac experiri licuiſſet, non placuit tamen priori omnia inſerere, quod prolixiora ſub calamo exirent, ſed ſingulari exercitatione comprehenſa, tanquam auctarium, appendere. Quin nec diverſam iccircò viam inire neceſſe fuerit, ſed primæ veſtigiis ubique inſiſtemus. A nomine propterea denuo incipiendum. Ægagropilos cur Græcè diximus, cauſam jam tùm edidimus. Horridiorem tamen quibusdam hanc appellationem viſam accepimus, qui Latinam pilarum rupicapræ, ut notiorem atque faciliorem maluiſſent: Quibus nunc liberam eligendi poteſtatem facimus. Ipſi certè ſubinde hoc quoque nomine uſi ſumus. At quia nos eruditis ſcribere credebamus, parùm penſi habuimus, ad ſonum vocabuli

aut novitatem respicere, quod Pelasgis auribus minimè ignotum aut ingratum esse debebat, magniq; Scaligeri arbitratu, facilius Latinis, quam vel Græcis vel Arabicis verus peritusque Medicus carere queat: cùm ne quidem plebeji atque incultiores περιοδευται absque istarum LL. vocabulis vel unam remedij formulam conscribillare noverint. Ipsum præterea caprearum nomen, ut Martialis appellabat, non minus quam rupicapræ, generis latiori ambitu, eodem Scaligero monente, miramq; animalis, cum reliquis capris alpestribus confusionem apud veteres atque recentiores, ibidem advertimus. Natalis Comes III. de venatione, minus doctè, ut plura alia:

Sunt capreæ, rupicapreæ, sunt Ibices acres: turpi admisso in metricen solœcismo. Dorcades Aristoteli IIX. histor. anim. c. XXIIX. & Plinio IIX. c. XI. cum capris silvestribus & capreis commutatæ, & Servio in Virgilii Æneid. IV. quà de venatu Didonis, utut in Africa reperiri negaverit Plinius l. c. Aristotelem sequutus: ἐν Λιβύῃ πάσῃ οὔτε σῦς ἄγριός ἐστιν, οὔτε ἔλαφος, οὔτε αἲξ ἄγριος. In Libya Universa neque sus agrestis, neque cervus, neque capra silvestris reperitur. Æliano tamen disertè dorcadum & Cemadum genera in Libya XIV. de anim. c. XIV. λιβύστινοι δορκάδες καὶ κεμάδες: & c. XVI. etiam αἶγες ἄγριαι τὰς Λιβύων ἄκρας ἐπιστείβουσι. In Insula quoq; è regione promontorii Bonæ spei, & ibices, & capricornos, ac rupicapras plurimas reperiri testatur Adamus Olearius II. Itiner. Jo. Alberti à Mandelslo c. XVI. κόλοι Scytharum & Sarmatarum in II. Geographiæ apud Strabonem, Julii Scaligeri sententiâ ad cervos tamen potius referenda Exerc. CCVII. *Chamois*, Gallorum ap. Petrum Bellonium, seu verius Gyllium, cujus amanuensis fuerat lib. I. observ. LIV. Chamelli, Campanorum suorum dialecto, Jo. Bruyerino XIII. de re cibaria c. XX. Unde & Italicum: Camuccie, ò Camozze: & nostrum vernaculum Gamsen/ oder/ Gemsen.

Gemsen. *Isards*, Glossario vetusto Gall. Latino. Faönes Francorum, Scaligero l. c. : סביע Thomæ Novariensi in thesauro Syr. Arab. Lat. tr. XV. c. V. minus benè & : פיש אלגבל hircus montanus, multoque minus : צבעת *Daïno, Camozza, Damula*, Dominico Germano in fabrica L. Arab. quippe ingenti hyænæ seu lupj cervarij ἀκέρατος & voracissimi confusione cum animali cornuto, sed innoxio. At : צבי Hebraicum Devteron. XIV. 5. Chaldæo Paraphrastæ טביא Arabi Erpeniano : טבי: טביה ejusdem planè originis, caprea quidem & dorcas aut capreolus exponitur Jauhario & Camusi auctori, ad Cervi tamen species potius quam caprarum pertinet, à quibus sanè DEUS ipse l. c. distinxerat. Tavuso Persæ Ahu, *Tzeiran* Turcarum, damarum species cornibus retrò flexis, circa Schammachiam, frequentior observante Oleario IV. Itin. Moscov. Pers. c. XXI. damis quidem omnino similis, sed cornibus caprinis, nonnihil longioribus, qualia in pinacothecis Principum, & amicorum quorundam sæpius conspeximus, caprarum Indicarum nomine, Syro interpreti Actor. XI. 36. ταβιθά: : חביטא: cum qua idem videtur *Hinnulus*, sive pullus dorcadis, Capreolus, & Cervus ipse Psalm. CIII. 19. cujus cervicem, oculos, pedesque in primis Poëtæ Arabum in amatoriis tantopere extollunt, & deprædicant, in illa quidem altitudinem, istis splendorem & magnitudinem, his deniq; agilitatem, & erecti corporis sublime decus spectantes, de quibus nonnulla obiter in secundo variarum nostrarum. Pygargus quoque, ut Devteron. c. XIV. : דישון Hebr. vulgata versio reddebat: Persa, : בזן בהו Cervino itidem generi propior est, quam caprillo, aut Ibici, qui Illyriis tamen parum diverso nomine: *Kozo Ziecz*: Boëmis, *Koryransky Kozyk*, id est, hirculus Carnicus sive Carinthiacus. Hispanis ampliori significatu; *Cabra montes*. αἴγαγρος Caprea, Polonis *Sarna*: δορκάδιον, Capreolus, *Sarna samiec*, Blathasari

Andreæ Bornensi in auctarioDiction. Triling. Nicol. Volkmari celebris quondam apud Gedanenses Polonicæ L. Professoris. Capra, *Koza*, αἴξ. Capella αἰγίδιον, *Kozka:* Rupicapra, αἴξ ἄγριος, *Koza Zika: & Lania. Lesnakoza*, δορκὰς German. Demlein/ damula, ut Tendlen etiam ex altero nonnihil immutato. Capræ feræ Varronis Soracti in Faliscis saxo salientes plus quam sexagenos pedes II. rei rust. c. III. sic enim nostrâ opinione legendum, contra quam Hervagius Basileæ, & Beroaldus Bononiæ ediderunt. Ille: *Soracti in Fiscellio:* hic vero: *in Soracti Fiscello.* Nec enim satis idoneum putamus, si quis: *in Soracti Fascelide*, aut *Fascelidis:* rescripserit, ut quibusdam placebat, omni tamen codicum fide destitutis. Est enim mons, non Apuliæ, ut Robertus Stephanus in Lex. Poët. suspicabatur, sed in Faliscis, haut procul Aricia apud Plin. III. 5. Fascelidem autem Dianam à fasce lignorum dictam, quo unà cum fratris Apollinis simulacro ab Oreste & Iphigenia è Taurica regione deportato diu delituisse ajunt, nullo sat gravi testimonio nonnulli nobis persuadere conati sunt, festivitatis sollemnia hinc quoque derivantes, de quibus Virgilius Æneid. XI.

Summe DEUS sancti custos Soractis Apollo
Quem primi colimus, cum pineus ardor acervo
Pascitur.

Soracte Horatio I. Carm. ode IX.

Vides ut alta stet nive candidum.

Hodiè mons S. Silvestri. Vicino urbi tractu Plin II. 93. Sacra certè illa, non tam Apollini, quam Deæ Feroniæ facta notavit ex Strabone Ant. Massa Galesius ICtus de origine Faliscorum, quos ab oppido Ariniano & Soracte ad amnem Vetiam è Cyminio monte in Tiberim labentem, inter Tiberim ipsum & Nepesinum ac Capenatem agrum collocabat. Est autem Fe-

ronia nemoris Dea, non alia, quam Diana, ſoror Apollinis, aut Juno à ferendis ſacris ſic dicta, eadem cum luna apud Catullum. XXXV. in carmine ſeculari

Montium domina ut fores
Silvarumq; virentium
Saltuumq; reconditorum
Amniumq; ſonantium
Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis
Tu potens Trivia & nothoes
Dicta lumine luna.

Sic enim recte editum à Guil. Janſonio Cæſio, non: *noto:* ut alii habent, & verſus ipſi non admittunt. Cæterum Capreas Arabicas Xenophontis in expedit. Cyri memoratas, Capreolos potius credere fas fuerit ſive : גז׳אן Hinnulos aut אבנאן בריק quos modò dicebamus. Neque diſſimilis ratio platycerotum, qui πρόκαι Ariſtoteli, *damæ* Theod. Gazæ, vulgares tamen, non veterum, ut videbatur Ulyſs Aldrovando l. de biſulc. c. XI. νεβροὶ à quorum copia Nebrodes mons dictus in Sicilia ap. Solinum polyhiſtorem. Vt *Capraria* inſula Plinio III. 5. à feris & *Capraſia*, oſtium Padi. III. 16. à capris domeſticis. πρόκες, ἔλαφοι, Heſychio à celeritate ſic dicti, nam πρόκα quoque ap. Hippoc. ἐξαίφνης exponebat Galenus in Gloſſis. χρυσοκάρανοι καὶ ποικιλονῶτοι δόρκαι Euripidi in Hercul. furente Antiſtroph. I. verſ. XII. Damarum utique appellatione rupicapras quoque deſcribere videtur Alexander Gattius, politiſſimo carmine Italico de venatu ad Jacobum Britanniæ Regem ſcripto, cujus particulam iſtam infra Latinis verſibus animi gratia expreſſam ſubjiciemus, quod in ſequentibus quoq; illius adſenſum advocaturi ſimus, ac ipſum opuſculū Londini cIↄ Iↄ cXIX. excuſum paucis etiam in Italia viſum aut lectum ſciamus.

Diſertè enim ſtrophe CXLI. ait:

Ut paucis referam, cuncta hæc quæcunque videmus,
Haut multum ab reliquis ſunt variata capris.

Cui conſentit Natalis Comes III. de venat.

Igneus eſt illis color atque ingentia frontis.
Cornua, ſunt ungues fiſſi, ſunt cætera quales
Quæ ſub cuſtode adrepunt virgulta capellæ

(*Adripiunt* tamen fortaſſe aut *adrodunt* rectius dicamus.) Et ante utrumque Oppianus jam olim metrica Michaëlis Piccarti translatione, quam apud Noricos hiſtor. & eloquentiæ Profeſſor celeberrimus, hortante Conrado Ritterſhuſio ſuſceperat. II. Cyneget. verſ. 457. cui in Græc. reſpondet verſ. 326. & ſeqq.

Quin & caprarum atque ovium fera ſæcula ſilvis
Viſuntur, nec eæ majores corpore multo
Quam noſtræ fortaſſis oves, hirtæq́ue capellæ,
Sed curſu rapidæ ac fortes certamine pugnæ.
Nam caput armatæ camuris ſunt cornibus, ingens
Eſt fronti robur duræ quæq́ue impete facto
Fulmineos non raro ſues proſternere lucis
Evaluêre adverſis cornibus inſultantes.

Quid tamen illud: *camuris cornibus*: ſibi velit, non ſatis capimus, ut *curvis* potius ſcribendum putemus. *Flexuoſis armatæ in capite cornibus*, Ritterſhuſii verſione:

Στρεπτοῖσι κεφαλῆφι κορυσσόμενοι κεράεσσι. ἴξαλος αἴξ Homero Ibex. ἰξάλου, αἰγὸς δορὰ ἢ πηδητικός. ἰξάλου, πηδητικοῦ ὀξέως, ἀπὸ τοῦ ἶξαι, καὶ τὸ ἄλλεσθαι. δηλοῖ δὲ καὶ ὀξέως ἀλλομένου, ὀρεία αἴξ. Luciano in Tragopodagra αἰγῶν πανάγρια φῦλα, Oppiano II. Cyneget. verſ. 326. αἶγες ὄρεινοι Dioſc. II. 98. & ex illo, ut reliqua plura pſeudeponymo Galeno. II. Euporiſtor. XXXIX.

אקו

:גדי quod hœdum ſignificat, Jauhario tamen in cœlo etiam Capricornum notat. At פגר plurimum numero tantum uſitatum Dorcades, de capreolis præcipuè moſchiferis accipiendum videtur, quod ipſa radix פאר tertia conjugatione odorem moſcho proprium diffundere ſignificet. Æthiopi paraphraſtæ Devteron. l. ſupra c. :רעל Mas Capreæ ſive capreolus ut Cantic. IV. 5. & VII. 3. :ריטל Caprea femina, quod cum Hebr. & Chald. convenit etiam Pſalm. CIV. 19. הרים הגבהים סלעים מחסה לשפנין: Montes excelſi ibicibus, petræ refugium cuniculis: ubi eædem voces & pro petris aut rupibus: :צלעת Zalayty: habentur: quod utrum aliquam convenientiam habere queat cum Arabum :תיתל alii diſpiciant. Hoc enim nomine & caper alpeſtris ſive oryx Jauhario, & bos montanus Ebn Maarupho cenſebatur. Propius tamen ad rupicapras capræ Cretenſes acceſſerint, apud Solinum c. XI. dictamni invento uſuque celebres Theophraſt. IX. hiſtor. plant. c. VI. de quo deinceps plura commemoranda, nec non Cypriæ Jo. de Choul deſcriptæ, & Syriacæ Ariſt. IIX. hiſt. an. XXIIX. Et corporum tamen magnitudine, & pilorum coloribus ac rigiditate, & denique capitis cornuumque figura omnes invicem diſcrepant. Nec enim melior unquam genuina rupicapræ effigies hucuſque, quam Meriani formis prodiit apud Jonſton. tabul. XXXII. plurimum ſanè differens ab altera tab. XXVII. quæ id eò minus accurata quemadmodum & Aldrovandina adeò rudis in lignea ſculptura apparet, ut quamvis potius aliam quam veram ægagron expreſſerit: cum reliquo corpore univerſo, tum cruribus ſemirotundis, qualia rupicapris nulla, in longum ſiquidem porrecta, aliquantillum ſupremo tantum faſtigio in uncinum curvantur. At tabulâ illa XXXII. eleganter pedes anteriores poſterioribus breviores conſpicies (quales & lepori aliisque paucis curſu ſaltuque pernicioribus animalibus

Natura conceſſit, quibus conjunctis, arctiori veſtigio poſitum illum referunt, qui pendentium eſt apud Martialem l. c. & quo caſuram ſperes, decipit illa canes. Nam quod id Aldrovandus de ſaltu per rupes exponat, non de cornibus, quibus adfixæ pendeant, ut verum fateri liceat, οὐδὲν πρὸς ἔπος. Sed relinquamus iſta, & Ægagropilos ipſos ulterius conſideremus. Nec enim dum ſimilitudo generationis, ut ut diſſimilis aliquà, quemadmodum in omni ſimili Ariſtoteles, advertit X. Metaphyſic. III. cum reliquis Badzahardicis diſplicere poteſt, quorum vires Monardes cæterique à paſtu ſcorzoneræ ſive Colubrariæ Mauritanicæ ſive Hiſpanicæ primâ translatione dictæ, nequidquam abſonè deducunt. Nec illic enim tantum, ſed toto propemodum Oriente inſignem Tragopogonis iſtius alexiterii ſpeciem lætiſſimè provenire Illuſtris Veslingii obſervatione haut ita pridem oſtendit Jo. Mich. Fehrius tract. ſingulari. In Indiæ quoque Occidentalis regionibus, Americæ nomine notis naſcentem deſcribunt Mechuacanenſem Nardus Ant. Recchus VII. rer. Med. nov. Hiſpan. c. LIII. & ſerpentariam polyphyllon foliis magis quam Chondrilla aut Hieracium laciniatis Georgius Marcgravius lib. I. hiſtor. plant. Braſil. c. XIII. Ciarchenſem autem & Tonſalianam Peruanorum Joſua Ferrus in ſecretis ſuis Æmilio Campolongo inſcriptis, à qua nonnihil differre adſerebat, quam tùm in horto Piſano viderat. fol. 29. Sinenſium quoque Xunchingenſem commemorat Jo. Neuhofius Itiner. Sin. pag. 343. Neque ſpernenda opinio Jacobi Biſſelii pereruditi viri qui lib. XV. Argonautic. Americ. ſive periculor. Petri Victoriæ ſaluberrimas plantas quaſcunque ex omni montium delectu ab animalibus depaſci conjiciebat, ut horum deinde lento ſucco lapis alvo innaſcatur, nec aliis, quam illis ipſis loculis, quos Bezuares vulgo appellent. Hoc autem caprarum & hircorum ſilveſtrium genus regioni Peruanorum in montibus Andium Braſi-

liam

liam abſecantibus peculiare, Guanacos, & Ycunnas incolis dictum, hircis Orientalibus quidem ſimile, ſed cornibus omnino exarmatum rufi coloris, pelliquе ventris quaſi marſupio adnato, quo herbæ recondantur, & volutatione creberrima retractentur. Quin etiam לביה אלתיס: ſeu barba hircina Ebn ſinæ lib. II. tr. II. c. XII. ad Tragopogonem referenda erat, vel ipſo nomine requirente, non ad ciſtos, ut Plempio videbatur, nam de iſto c. XIX. deinde pertractabat, קיסוס; pro quo omninò קיסטוס: reſcribi poterat, niſi cum hedera confuſam fuiſſe ſatis conſtaret. Καλλίθριον Ebn Cabaro אלחו ברש: niſi fortè καλλίτριχον ſcribendum, quod etiam Græcum, ut plura alia ex Ægypto adducta. Nam quod ingenioſiſſimus Kircherus eadem ſcala Coptica, πθαρμικη, non tantum ſtruthium, ſed etiam ibicem reddiderit, nulla cauſa apparet, niſi fortaſſe lutea quoque majori fruteſcente, non minus quam Tragopogonis generibus rupicapras & ibices veſci credamus, de quibus inferius plura, ne tanquam aliena ab re præſente hæc nobis alii objiciant. Barbam ſane hircinam Ebnſina primo gradu calidam, ciſtum ſecundo pronunciabat, illam præterea pulmonum ulceribus & hæmoptyſi commendans, quibus ſanè ſcorzonera eximia cujuscunque generis comperitur, inprimis tamen quæ Cluſio in Pannonicis quarta inter hieracia ſive ſonchitas, aut ſeptima pumila in hiſtoria rariorum: quæ virtutes licet Ciſto quoque conveniant ab Ebnſina l. c. contra phalangiorum morſus laudato, diſertè tamen radicem barbæ hircinæ in theriacæ compoſitionem adſumi adfirmabat, quod de ciſto verum eſſe non poteſt, de Tragopogone poteſt, ſi illam ſcil. intelligas, non quam Andromachi inventione à poſteris toties ambitioſè interpolatam, ſingularis ſive ἀφορισμένης nomine, id eſt *ſeparatæ*, אלפרוק: aut certa ſimplicium ſerie diſcriminatæ ipſe geminam in quinto Antidotarii deſcribit, neque Ægyptiam illam Mareſtani ſive

Therapevterii Cairini apud Alpinum de Medic. Ægypt. IV. c. IX. Sed quam Ezræ cognomine l. c. enarravit. Huic enim radicem Intubi immiſcebat, quæ inter hieracia, chondrillas, & tragopogones, ut plantas plurimum adfines, perdoctè numerata eſt à Cl. Bauhino in pinace, viresque omnes, quas Ebnſina intubo :הנדבא c. V. adſcripſerat, perbellè etiam barbæ hircinæ conveniunt: quod in tranſcurſu monere viſum eſt, quia id nemini obſervatum putamus. Tota ſane deſcriptione illâ non alia planta ulla occurrit, cui præter intubum tragopogonis nomen jure adſcribi queat. At Bononienſium prolixa farrago, quæ olim noſtratibus probata, jam dudum in deſuetudinem abiit, huc ideò nequaquam referenda, radicem quidem ſerpentariæ continebat, pro qua tamen nec Scorzoneram, nec Tragopogonem, nec aliam quamcunque vulgo recipiebant, ſed biſtortam alii quidem communem & notiſſimam, alii verò ex alpibus collectam, ceu efficaciorem, quam Bauhinus tergeminam deſcribit, de qua iccircò plura exercitatione de Vena Medinenſi. Serpentariæ quoque nomine biſtortam intelligebat quondam Ambroſius Jungius Poliatrus Auguſtanus, cujus aquam compoſitam ad peſtem magno uſu multisque encomiis extulerat. Ex iſtis ſaltem ſperamus planum eſſe, rupicapras, non minus quam capras Indicas & Perſicas, Tragopogone & ſcorzonera lubenter veſci ſolere, quâ vires deinde eximiæ Ægagropilis, non minus, quam lapillis Badzahardicis accedant, ne nos id poſtea pluribus repetere neceſſe habeamus: inprimis cùm locis omnibus alpeſtribus totius Europæ, ſed maximè Pannonicis ſive Boëmicis, Hercyniis, ac Tirolenſibus jam olim Thalio, Beslero, Cluſio, & Matthiolo fuerit obſervata. Illyricam quoque eleganter depinxit Proſper Alpinus II. Exotic. c. XXXI. quæ eadem videtur cum Volcameriana bupleurifolia Fehrij c. III.

Quod verò priori diſſertatione de tophis juvencorum

tanquam

tanquam in tranſitu attigimus, veriſſimum experientia oſtendit. Duo enim illorum genera præcipua hactenus obſervavimus, quorum unum non aliud, quam rudiuſculum chyli concrementum, ἄτριχον, quale in lactentibus coagulum ex lacte Ariſtot. III. hiſt. anim. c. XXI. πυτία γάλα ἐστί. τῶν γὰρ ἔτι θηλαζόντων ἐστὶν ἐν τῇ κοιλίᾳ. Coagulum lac eſt. Lactentium enim in ventriculo continetur. Lac autem non aliud, quam chylum noſtræ ætatis curiosâ indagine & ingenioſis experimentis didicimus. Alterum verò piloſum, magisq; compactum plerumque exactè rotundum, cujus Geſnerus quoque in foſſilibus fol. 158. meminit, & perpulcrè delineavit Ferrantes Imperatus hiſtor. Natural. in finé libr. XXIIX. integrum ſcil. & diſſectum, ut pilorum interna congeries oſtenderetur, quod ibidem inſpici meretur. Quem verò Badzahardicum vaccarium in urbe SinenſiumCingcheu è ventriculo exemptum, Nieuhoang. id eſt, flavedinem vaccæ, magnitudine ovi anſerini, contra catarrhos memoravit Jo. Neuhofius Itin. ſin. p. 193 & 369. vix alius eſſe poteſt, quam qui è felle tauri apud nos quoq; eruitur, ut priori diſſertatione meminimus, Exterius enim mollem, cretaceum & friabilem deſcripſerat, luteique coloris, qui bili proprius: quamvis locorum natalium & paſturæ varietate nonnihil differre poſſit. Ne tamen (quod quidam ſuſpicati ſunt) pulcerrimum illum perfectè globoſum, maximumque Ægagropilum, qualem olim depinximus, cum Tauroporo eundem quis exiſtimet, effigiem unius, apud nos, adjicere viſum fuit, eumque diſſectum, ut contenta appareant, piloſa ſanè nec præterea quid, quam repræſentantia. Nam in altero fibras plantarum, non pilos, à nobis repertas fide optima atteſtamur. Huic verò ſi quis majores durioresq; alios adjicere voluerit, qualem præteritis annis curioſiſſimus Naturæq; conſultiſſimus D. Haugtion Salisburienſis ex vituli monſtroſi ventriculo, libras viginti cum

dimidia pendentem ad Nob. Boylæum transmisit memorante in Ephem. eruditorum politissimo Hedovillio ephem III. nullam nobis refragandi causam superesse fatebimur. Plures autem Ægragropilorum iconas illic exprimi curavimus, unà cum alia perfectè rotunda, dura & quodammodo ossea, solida nec ulla cavitate prædita, ex omento rupicapræ, quod rariori loco reperta sit, nobisq; à Nobilissimo amicissimoq; viro dono data, de cujus fide si quisquam dubitare vellet, næ ille dignissimus nobis habendus foret, qui nunquam alio, quam τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ψήφῳ contrario utatur. Hippolithos quoque geminos pauculis abhinc annis Augustæ ap. nos, equorum intestinis exemptos vidimus oppidò elegantes splendentes, glabros ac nitidos, colore, substantia, testarũ sive crustarum inductione, & reliquis omnibus accidentibus, præterquã magnitudine Badzahardicis omninò pares, Nulla tamen in equis istis suspicio de vini potu suberat, quem in asturconibus Neapolitanis, & tollutariis Bambergensibus Snizerus innuebat epist. LXV. ap. Hornungum, perpetuæ tantum aquæ potationi adsuetis, rarissimoque panis vino madentis usu, qualis interdum fovendis viribus nonnisi per iter equisonibus usitatus. Latuerant autem in ipso illo ventriculari intestino, quod colo ex una parte, ut cœcum ex altera adnexum est. Variis sanè partibus tam lapides Badzahardicos, quam calculos humanos aliorumque animalium generari satis ex historiis constat, de quibus olim nonnulla tanquam in transcursu commemoravimus. Hoc unum tamen de Ægagropilis adjicere debuimus, quamvis plerumque in primo tantum aut secundo loculo ruminantibus proprio reperiantur, quorum iconas ad vivum expressimus, fuisse tamen qui seriò adfirmarent, in quarto quoq; ventriculo circa ipsum pylorum, quamvis minores tantum, sibi observatos: quod neque nos olim negavimus, neque nunc vero absimile videtur. Majores tamen in priori-

bus

bus concretos non facilè in iſtum, licet capaciorem tranſire poſſe ipſa viarum commeantium anguſtia ſatis evincit, quæ figurâ Aldrovandi l. de biſulc. c. IIX. minus commodè percipi poteſt, ex ariete tantum domeſtico deſumpta, & præterea, ut Cnoblochii rudis & impolita eſt. Omnium quidem ruminantium ventriculi haut parum inter ſe ſimiles comperiuntur, diverſis tamen animalibus & magnitudine, & formæ quibusdam diſcriminibus nonnihil variare ſolent, quorum, haut pauca cum rupicapris confuſa ſupra jam monuimus, ipſo tamen corporis habitu, & cornuum effigie facilius diſtinguere licebat. Strepſicerotî enim erecta & ſurſum lyræ in modum reflexa conſpiciuntur, quemadmodum & Capreolis Arabum ſive Gazalis dictis, niſi quod longiora & tenuiora colore etiam differant: Ibicibus ſemilunata, nodisque aſpera, Homero ἑκκαιδεκάδωρα, XVI. palmarum ejusdem ſcholiaſtæ, ſive dodrantum V. & palmi unius, ut Euſtathius Theſſalonicenſis eruditiſſimo commentario exponit, quibus annorum numerum non ſecus, ac proſubulis ramisque in cervis vulgari venantium conſuetudine colligi putant, (quam Jul. Scaliger non probabat, utpote ultra ſextum annum non excreſcere exiſtimans) quod tamen mirari queas, ut quem iſtarum rerum cæteroquin in aulis Cæſarum & Principum peritiſſimum experientia refellit, & nos quoq; πεντεκαιδεκάρριζον ſine uſtione præparatum integrum habemus. Minora porrò, quam ibicibus, capris Libycis & extrema tantum cuſpide in ſuperiora curvata cornua, quemadmodum & damis vett. obtigerunt: Majora Hiſpanicis in tergum reclinata: Mambrinis juxta aures pendulas exigua & ſtriata potius, quam nodoſa, parumque diverſa ab Ibicibus ſilveſtribus Sardorum, niſi quod volutâ propemodum in circulum coëant: Perſicis oblonga & lævia, plerumque recta: Capreolis moſchiferis exiguæ ſubulæ ſimplicibus ſubulonum radicibus perquam ſimiles: Damis in adverſum reducta:

 platy-

platyceroti & orygi palmata, pygargo ferè ut ibicibus anfractu semirotundo in posteriora revoluta: damis cervariis latissima: tarandis etiam & tragelaphis propemodum cervina, plurimis adminiculis exstantibus prædita: bubalis denique taurina, quibusdam adversis mucronibus ferè se contingentia, quibusdam verò utroque latere à temporibus prominentia & leviter inflexa: juvencis anterius falcata & sursum spectantia, quæ omnia apud Jonstonum pulcrius, quam Aldrovandum expressa, jucundius contemplari licet. Rupicapris in dorsum adunca & plerumque exterius nigricantia obtigerunt, glabra frequentius, interdum tamen rugis quibusdam minus profundis quodammodo sulcata. At illa, quam Petrus la Sena in Cleombroto suo c. IIX. è marmore Cæsiano, imagini ac inscriptioni Corneliæ Tyches & Juliæ Secundæ Filiæ adnexo depingit & eruditè examinat, capreolum minorem satis referre videtur, ejus nimirum ætatis, quâ nondum cornua emisit, qualis Homeri quoque capellam parentalem, candidam, αἶγα χιονικὴν, niveam potius, quam χιᾶν vocandam suspicabatur, utut Chios Insula Ægæi maris sit à capris denominati, & de illius patria septem urbium certamen notissimum doctissimi Allatii ingenio (octavam etiam Chion eligentis,) uberius, expositum sciamus, quæ fuerint,

Smyrna, Rhodos, Colophon, Salamin, Jos, Argos, Athenæ.

Sed his omissis causas ipsas inspiciamus. Quam enim efficientem vocant, primariam non ab re constituimus, salinum quendam spiritum, aut succum & humorem, cui non tantum figendi facultas, quæ volatilia vocantur, sed etiam in lapidem, aut saltem duritiem quandam lapideæ proximam convertendi facultas insit. Qualis cùm universo propemodum orbe mixtis plerisque corporibus insitus comperiatur, nusquam tamen evidentius ferè sese exserit, quàm in aquis quibusdam alpestribus, quarum tùm mentionem fecimus, & quarum potu monstrosis

tumori-

tumoribus incolarum colla deturpari nemo ignorat. Tales in ditione Tirolensi plures occurrunt, inprimis circa Suatrim oppidum non ignobile metallorum fodinis. In Styriæ quoque montana regiuncula fluvium Putscovium dictum bronchocelis ingentibus gignendis aptissimum sive potetur, sive etiam cibis coquendis adhibeatur narravit Franciscus Joël tom. VI. Chir. Pr. pag. 187. quamvis non nemo & pituitam, & crassiorem humorem melancholicum ac terrestrem scirrhosis præcipuè concurrere in adenosas & membranosas partes subcutaneas defluentem non incommodè addidisset. Multum autem illis alpibus & salis effoditur ac conficitur ferrique ac argenti venæ coluntur, quibus propterea & Cinnabaris ac hydrargyri copia reperitur. Quod licet non negaret CL. Sennertus II. Pr. part. I. c. XXV. malebat tamen his exclusis Hippocratis illud lib. de aëre, aq. & loc. ὕδατα φλεγματωδέστατα καὶ βραγχωδέστατα, πηγολωμενά, ὑπό τε χιόνος καὶ παγετῶν. id est, aquas è nive & glacie returbidas, pituitam maximè gignentes & raucedinem excitantes, in Cod. Foesii pag. 28. Cui tamen vicissim in memoriam revocare liceat, τὰ ἁλυκὰ καὶ ἀτέραμνα, καὶ σκληρά. pag. 284. *Salsas, indomitas, & duras* ejusdem Foësii versione, strumis utique Hispanos endemiis frequentius laborare à potu aquæ crudæ, nivibus eliquatæ, notavit quoque Andr. Laurentius tr. singulari c. II. apud quos tamen hydrargyri ingentem proventum esse planum est, pro quo iccirco perdoctè pugnabat etiam Thom. Bartholinus de nivis usu in Med. c. XXXIV. Salinum spiritum coagulantem adducit Petrus Jo. Faber Hydrograph. Spagir c. XIIX. qui cum Hippocratis ἁλυκοῖς idem est. Calculoso quoq; fonte domestico in ædibus suis amicum quendam suum magni nominis calculi morbum contraxisse notavit Augustus Hauptmannus Med. Dresdensis rerum Chemicarum peritiâ celeberrimus disp. de calc. ren. §. XXXIX. hydrargyrum

 salium

salium contubernium perditè quodammodo amare contestatus §. LIX. Pleræque certè alpestrium non tantum nive liquata corrivantur, cujus insignes noxas jam olim Galenus advertit lib. de V. S. advers. Erasistr. c. III. & qui hunc comm. illustravit Joh. Bapt. Silvaticus hist. Med. XI. sed etiam resides haut rarò ac immotæ, quales in puteis thermarum Antonini Romæ nocentissimas comperit Joh. Manelphus mens. Rom. c. VI. uberiori quoque adsensu & exemplis pluribus comprobavit Joh. Schenkius lib. VII. obs. VI. Ejusmodi metallicæ ad Bistricium quoque insalubres & strumas gignentes, quam urbem *Nesindavam* Strabonis putabat Joh. Troesterus descript. Daciæ nov. antiq. pag. 443. *Niæsenaviam* rectius ab antiquo Germanorum Niosna, id est, inquirere, indagare, quod locus esset venatibus celeberrimus. Bastarnas quidem sæpius commemorat Strabo in quarto Geographiæ, Nesindavæ tamen nusquam meminit, ut hoc μνημονικὸν ἁμάρτημα corrigendum sit ex III. Ptolemæi. c. IIX. ubi ἐλινδαύα habetur, pro qua tamen tab. IX. Europæ, Laurentius Phrisius Vsenium reposuisse videtur haut procul à Carpatho monte: plurimas autem rupicapras in Transsilvaniæ quoque montibus reperiri vel hoc unum ostenderit, quod prope Albam Daciæ rupes sit cui à rupicapris nomen, *Ketskekoc*. Sed & Zarmis Gethusa, domus venationis Zarmidis Regis, quam nunc Corona Bilibaldo Pirckeimero ICto & Cons. Cæs. in Germaniæ diatyposi ad Com. Henric. Nevenarium cIↄ Iↄ XXX. Augustæ excusa, continuâ Alpium Carpathiarum serie Bistricio conjuncta, aut saltem non procul distans, ut in circulis sphæræ, cum Zonis mappisque idem ostenderat, quibus tamen multò accuratiores hodiè exstant, id ipsum suffragio firmantes. *Barassovia* Hungaris, *Patroissa* Ptolemæi, quam Troesterus ex antiquis Zamoscii nummis Sarmidis aut Syrmi regiam conjectabat, IV. tantum milliaribus ab Istro distantem ap. Arrianum,

Sarmiz

Sarmiz Gothusam tamen potius à Gothis derivanda nomenclatura. Vlpiam Trajanam existimabat Achilles Gasserus notis Ptolemæo nostro adscriptis: quod eò vero similius apparet, quia à Sarmide Dietavia Decebali eidem videbatur, atque hoc devicto Trajani victoris nomen acceperat. Unde hoc saltem constat, his quoque alpibus jam olim frequentissimos venatus dorcadum & rupicaprarum à Regibus & Imperatoribus institutos, quod hodiè inter tot bellicos tumultus minus securum, principibus illis toties jam violento Turcarum arbitrio permutatis. Cæterum ejusmodi aquæ alpinæ quamvis è petris scaturientes, quæ Homero Iliad. ι. vers. 14. αἰγίλιπες dicantur, non omnes tamen adeo profundæ aut aviis ac præruptis reconditæ sunt, quin hinc inde dimissis rivulis à rupicapris attingi bibique possint. Sic enim ille de lacrumis Agamemnonis.

Ἵστατο δακρυχέων, ὥστε κρήνη μελάνυδρος
ἥτε κατ' αἰγίλιπος πέτρης δνοφερὸν χέει ὕδωρ.

Obertus Gifanius quamvis scrupulosà verborum sectatione, non tamen omnia adsequutus vertebat:

Surrexit lacrumans sicut fons nigræ aquæ
Qui ab excelsa petra obscurus fundit aquam.

Micylli Scholiastes eleganter: μελάνυδρος, πολύυδρος. τὸ γὰρ μελαίνεσθαι αἴτιον τὸ βάθος. Ut fons nimirum aquarum copia nigricans innuatur. αἰγίλιπος, ὑψηλῆς, ἣν ἂν καὶ αἲξ ἀπολίπῃ, διὰ τὸ ἄγαν ὑψηλὸν καὶ δύσβατον. ἐν γὰρ τοῖς κρημνοῖς αἱ αἶγες ὡς ἐπίπαν νέμονται. ἡ δὲ παραβολὴ πρός τε τὸ πλῆθος τῶν δακρύων εἴληπται καὶ τῶν στεναγμῶν. *Id est, Excelsa quam etiam capra non adsequatur, propter nimiam altitudinem & difficultatem adscensus. Ut plurimum enim locis præruptis pascuntur. Similitudo autem hinc ad copiam lacrumarum & gemitûs desumpta est.* Sæpè quidem ex glacie ejusmodi aquæ regelantur, sæpè tamen & ipsæ coägulandi vi pollent, ut in utramque partem

omnino accipere poſſimus, quod ὕδωρ κρυϛαλλόπηκτον pulcerrimè vocabat Paulus Silentiarius in hemiambiis de thermis Pythiis, quæ Bonaventura Vulcanius in lucem emiſit, glacialem aquam, id eſt, aut glaciatam, aut glacie quævis alia denſantem ac involventem: qualis in Rhæticis quoque & Helveticis montibus, proximisque Alſatiæ vallibus, quibus non minus, quam cæteris in locis ſtrumarum ubertas eſt, narrante Felice Fabro lib. I. hiſtor. Suevor. c. XV. (quod opus mirum eſt, CL^{ſſo.} Voſſio ignotum aut ſaltem præteritum fuiſſe, quemadmodum & Itinerarium ejusdem Arabicum, ut vocabat) ex Chronicis Comitum Habſpurgenſium, quibus non ſecus ac Regibus Gallorum & Anglorum divinum quaſi χάρισμα conceſſum ſit ſtrumoſos attactu perſanandi, etiam priusquam ad Imperium evecti eſſent, ſolitosque incolas vallis Albertinæ in Alſatia ad illos confluere, manuque illorum porrecta potione ocyus percurari, hoc quoque familiæ iſtius peculiari addito, crucem in dorſo auream è pilis flaveſcentibus formatam ab utero geſtare, & balbutientibus μογιλάλοις, oſculo dato, confeſtim linguæ promptitudinem expedire. Quod licet neque tùm temporis alii prodiderint neque noſtra ætate, qui proſapiæ iſtius plus quam Regiæ genealogias, & res geſtas Imperatorias deſcripſerunt, meminerint, fatente Philippo Camerario part. III. medit. hiſtor. c. XLII. Multas tamen prærogativas ſemper præ aliis totius orbis celſiſſimis quibusvis habuiſſe nemo peritiorum diffiteri poteſt, quas ideò arbore Anicia comprehenſas nuperrimè multâ prudentia & gravitate tuebatur Ampliſſimus Lambecius lib. I. de Bibl. Cæſ. §. 50. Nepotem certè alterum Perleonii in alpibus haut procul lacu Lucernenſi ſedem fixiſſe referebat etiam Raphaël Regius Volaterranus in Comm. Vrban. quem tamen non ſecus ac Stumpfium dum refelleret Gerardus de Roo lib. I. hiſtor. Auſtr. ad recentiorem originem Comitum Aventinorum

reſpi-

respiciebat, quam tamen multò antiquiorem demonstraturum se Lambecius receperat. Aquas certè ejusmodi gypseas & tophaceas in Alsatia, Helvetia & septem castrensi Daciæ tractu recensebat etiam Jacobus Moccius part. I. de causis concretionis. pag. 29. Inprimis lapides strumosos ex lapillis stalacticis compactos Andelfingæ propè Tigurum pag. 32. quam urbem quondam Albertus Habspurgicus, ut vasallus ab Imperatore acceperat eodem Roo narrante: cujus deinde nomine vallem hanc insignitam satis verosimile apparet. Aquam congelatam Clarimontanam in Avernia, & Ressilonensem in Delphinatu, ex qua pontem quoque concrevisse narrat Joh. Steph. Strobelbergerus descript. Gall. Polit. Med. pag. 147. quales etiam pleræque thermales, ut Aponensis in Patavino agro, cujus illapsu rotæ molendinariæ accretos lapides ipsi decussimus & cum particulis ligni ablatos asportavimus, sed longè tamen duriores, cum portione lignei canalis quodammodo petrefacta ex Carolinis Boëmicis habemus. Istud verò jure aliquis miretur, quod pag. 148. de fonte haut procul Viennâ Allobrogum refert, potu nimirum salubrem esse, quamvis cæteroquin omnia injecta lapideâ duritie imbuat. Ut enim liberius dicamus, si modò de experimento satis constet, quantum vim lapidificam concernit, potum tamen salubrem esse non posse satis planum videtur. Sunt autem plerisque his locis occulti fossilium meatus, in quibus succi metallici varii, quas Paracelsus *Kakimias* appellat, fluores scil. immaturos, & nondum perfectas concretiones, quarum XXX. species ad mentem illius cognitas referebant in Lexicis suis Chemicis Gerardus Dorneus & Jo. Rulandus, tanquam κακοχυμίας ἢ κακοὺς χυμοὺς dixeris, succos non tantum crudos ac inconcoctos, sed etiam quandoque malignos & venenosos, *Acachymiæ* nomine comprehensos à Diodoro Euchyonte lib. I.

Polychemiæ, è recentioribus quidem Græculis, sed tamen Paracelso multo antiquiori, manifesto, ut in cæteris, Arabismo, quo solemne est Græcis voculis primam consonantem præponere. Quin etiam remedia metallica & solutiones argenti, limaturas Chalybis, dulcedines saturni, extractiones veneris, stannum calcinatum, marcasitas item & pleraque stibiata, quamvis aceto aliisvè acrioribus præparata, nunquam omnino usurpanda, quod ad Naturam pristinam redire, & lapillos intestinis ingenerare valeant, contra Philippum Ulstadium decreverat jam olim idem Paracelsus lib. II. de Tartaro c. IV. de quibus plura deinde in libro de morbis subterraneis monticolarum differebat, plerosque à Mercurio quodam, ut ajebat, fuliginoso, & sulfure arsenicali, aut salibus chalcanthinis deducens, cui adnexis tabulis de gen. morb. VI. *spongias* vocabat ejusmodi humores, è quibus non tantum fungosæ excrescentiæ, sed etiam strumæ enascerentur. In Praxi quoque particulari c. I. lithiasin in stomacho, aliisque corporis partibus à Tartaro derivabat, quod mero nominis odio, & ludicrâ vocularum velitatione negatum ibat Joh. Bapt. Helmontius, meliora certè nequidquam substituens, eandemque fabulam, confictis in morbonia obscurissimis aliis, & nil quidquam significantibus agebat. Si enim *Duelech* illius tantopere decantatum penitius inspiciatur, cùm ipso sono Boëmici aut Polonici quid tinniat, si cum succo lapidifico idem constituatur, utroque pollice probare poterimus, quamvis naturam illius à propria forma dependentem, non minus, quam illius ignorare cogamur, nisi quod utrique salini quidpiam inesse nemo Naturæ consultus & Chemiæ peritior diffiteatur. Quin ipse Paracelsus in fragmentis libri I. de Tartaris c. I. Duelech istud tophum interpretabatur aut lapidem tophaceum. & tr. IV. c. V. Spongiosum ac foraminulentum à marmoreo & adamantino solido diversum, pumicem appellabat. Neque absurdum censen-

censendum quod lib. de morb. tartar. c. IV. strumas cartilagineæ Naturæ ex tartaro derivabat, similitudine à fecibus vini in dolio concrescentibus non ineptè desumpta, quando & nostra ætate plures eruditorũ sanguinis Naturam cum vino, & excrementa illius pag. 12. cum tartaro comparârunt. *Sal sabulosum* non ab re vocabat Joannes Viscerus, celeberrimus quondam Medicinæ Professor in Academia Tubingensi disput. de arthrit. §. LXX. *Humorem* autem *glutinosum* Guil. Harvejus in Spicilegio Joh. Beverovicii de calculo, ejusq; causa, Salmasiana controversia nobilitata pag. 195. qui tamen cum viscoso & mucaginoso tartaro Paracelsi planissimè idem est, illique etiam ap. auctorem de internis adfect. convenit, γίνεσθαι ἀπὸ τοῦ φλέγματος, si ritè explicetur. Cæterum quæ Galenus l. supra c. de nivali, cisternis & imbribus leviori, quemadmodum & glaciali, velut ad infinitum coactâ subtilitate quorundam opinione adferebat, contrariis argumentis haut malè evertere conabatur Plinius XXXI. 3. nam præter qualitatis intensionem plerumque aliena immixta probabile videtur, ut sanè longè majorem considerationem mereantur, quæ ad Hippocratis V. aphor. XXVI. non de leguminum celeriori percoctione, ut Celsus II. 18. ex Erasistrato, ut videtur ap. Athenæum II. 7. & Hipocr. II. Epid sect. II. pag. 1013. in Cod. Foes. Sed de sinceritate & puritate Simeon Sethi addidit c. περὶ ὑδάτων: καθαρώτατον καὶ εἰλικρινὲς εἶναι καὶ μὴ ἐν τέλῳ ἰδιαίτερον πιότητα: Nam quæ de potu copiosiori & intempestivo à cœna, inprimis in frigidioribus temperamentis, crassisque humoribus accumulatis Rasæus. VII. ad Almansorem c. IIX. advertit, quo peponum quandoque magnitudine strumas & bronchoceles excrescere ajebat lib. I. division. sive aphorism. c. CXXIX. generalius diætæ præceptum, pluribus aliis aptari potest, quod Ebnsina quoque. IV. sect. III. tr. II. c. X. & Ebn Serafion tr. VII. c. IIX. comprobabant. At istud præclarum, reiq; præsenti perquam

congruum, quod idem Ebnſina II. tr. II. c. XIII. omnes per fodinas meantes aquas, urinæ, menſtruorum, pariendique difficultatem inferre, turbidas autem calculum tam renum, quam veſicæ, producere admonebat. Certior itaque illarum exploratio, quam Palladius IX. 10. docet, decocta æneo vaſculo, ſi arenam vel limum relinquit in fundo, inutilem pronuncians. Et quam metallicis præcipuè præmiſerat: *In vaſe æneo nitido ſpargis, & ſi maculam non fecerit, probabilis judicetur.* Sæpè enim per terras metallicas decurrens limo arenisve, ſæpius tamen ſuccis & fluoribus coctione nullâ reſidentibus permiſcetur, qui tamen plerumque acriores æneis vaſis veſtigia ſua imprimunt, quibus agnoſci queant. Ut ergò μεταλλάχρυσον γαῖαν Paulus Silentiarius l. c. eleganter dixerat, ita nos etiam aquam μεταλλόχαλκον ἢ μεταλλοχάλκανθον, ἢ μεταλλυδράργυρον dicere poſſemus.

Quamquam verò Ægagropilos non lapides, ſed fibrarum & ſucci plantarum coctione ſeu fermentatione nondum perfectè reſoluti coägmenta verius ſtatuerimus, reipſâ id atteſtante, haut parum tamen & aphronitri alpini, & ſalis petroſi metallici ac arenarij linctum ad coägulationem acidi ſpirituoſi fermenti in ventriculo facere monebamus, quibus diſertè & Alexander Gattius adſentiur ſtrophe CL. ut nos redidimus:

Plana tamen petere & deſcendere monte videbis
Quæ ſalibus Valles, quæq; aphronitra ſcatent.

Et res ipſa ſatis in univerſo animalium genere, non minus quam humano, ſatis demonſtrat, ut mirari profectò lubeat cur ingenioſas de cauſis adfectuum p. n. cogitationes viri Ampliſſimi Franciſci Sylvij, de ſpiritu acido & ſale lixivo meras tantum hypotheſes, nec probari poſſe nonnulli opinentur, cùm reliquorum quoque doctrinæ de humoribus & partium intemperie, non minus meræ hypotheſes exſiſtant, neque validius adſertæ, neque elegantius expoſitæ, neque poſtremò certioribus

tioribus experimentis firmatæ, quin plures etiam instantias patiantur, & contradictiones involvant, si quis penitius examinârit, aut disceptandi animo inspexerit, quo nunc quidem lubenter abstinemus. Quamvis verò vis solvendi insignis spiritibus nitrosis insit, concrescendi tamen non minus efficacem virtutem in nitro satis arguunt plura tophorum genera, quæ sæpius conspeximus, atque è specu Gieterstenienfi ad arcem vetustam in Ducatu Virtembergico, haut procul Uraco, habemus, & concrementa fusoria, quæ nobis aliud agentibus sponte sub manibus enata sunt. Tales quoque aquæ in montibus de Fois Galliæ Narbonensis metallicis salibus succisque infectæ, in quibus magna damarum, Caprarum & rupicaprarum copia reperitur, quas vulgò *Isars* appellant, narrante Jo. Seph. Strobelbergero in Galliæ descript. Med. Polit. p. 70.

Ad alterum causarum, materiem scil. ex qua generantur Ægagropili, contendere satius videtur: Quâ nec dum de Doronico adlata displicere nobis debebunt, si nostris ipsi oculis fidem habere non recusemus, ut quibus discerptis sanè haut paucis, nunquam aliquid sese obtulit, quod pro illo facere posset. Etsi enim radicem aliquando integram repertam Cl.º Bauhino haut inviti accredamus, nobis tamen semper aliarum tantum plantarum in alpibus fibræ atque cauliculi, cum pulvere & succo chyloso compacti, interdum & grana quæpiam salis splendentis, arenacei immixta apparuêre, ut heic repetere nil attineat, quia in istis, quos interea exenteravimus, parum diversam compositionem reperimus. Quidquid tamen sit, cuncta Doronici genera, in alpibus Germaniæ, tantum non omnibus lætius provenire satis nunc constat, cum Indijs quoque Orientalibus, & montanis regni Sinensis copiosissimum provenire non tam conjecturis, quam Arabum Persarumque testimonio persuadeamur, suis hinc usibus radices illas exoticas, ut multa

alia pigmenta & medicamina petentium. Non minor ſanè illic quoque caprarum montanarum numerus reperitur, quam in Perſia, aut rupicapræ in Germania noſtra, utut de pilis in ventriculo genitis nondum conſtet: Vero tamen ſimillimum credimus, ſi Badzahardicorum generatio ibidem frequentiſſima conſideretur. Optandum ſanè ut Naturæ opes ampliſſimo illo regno luculentiſſimas & planè ſingulares, ex ipſorummet libris Botanicis, & Phyſicis, cognoſcere liceret, quando certiſſimum tenemus, utut ijsdem Medicinæ ſtudium minoris, quam rerum civilium & Philoſophiæ moralis æſtimetur (quo ſolo ſapientis viri perfectionem metiuntur) multa tamen illuſtrandis Arabum Medicorum ſcriptis ex iſtis addiſci poſſe. Medendi certè artem illorum ſolis ferè ſimplicibus abſolvi Martinius & Neuhofius prodiderunt, quorum cognitio, quantumvis nonnullis parvi æſtimetur, rerum tamen peritis maximi ſemper habita & utiliſſima comperta eſt. Hac autem in re torpentibus hactenus Luſitanis, & Mercurio ſuo τῷ κερδῴῳ potius, quam ingeniorum præſidi addictis, ab Anglis fortaſſe aliquid ſperare liceat aut Batavis, ſi faventiore fortuna uſi ad liberiorem illis in locis mercaturam admitterentur, cujus cauſa haut ita pridem Legatos in Sinas miſerant. Multi ſanè non tantum inter Japonios, ſed etiam Tataros (à XX. jam annis Sinenſi Imperio potitos) præter vernaculam non Indicè tantum, ſed etiam Sinicè, Perſicè, Turcicè, & Arabicè docti reperiuntur, qui transferendis è Sinica in aliquam iſtarum Linguarum ejusmodi ſcriptis Medicinalibus ſpe præmii, & muneribus (quorum avidiſſimi ſunt) facilè adduci poſſent, ſi Magnates & Principes aliqua iſtarum rerum cura, inter majores ad arcana dominationis & Rempubl. gerendam pertinentes, aliquando tangeret, ut deinde ex iſtis etiam Latina fieri poſſent. Sed & in contubernus religioſorum toto orbe diſſeminatis plurimi reperiuntur Linguarum omnium &

Medicinæ

Medicinæ peritiſſimi, à quibus tale quid multo accuratius, quam quibusvis aliis exſpectare liceat: Cujus egregium ſpecimen dudum edidit Michaël Boym in Flora Sinenſi. Exoticorum quoque ſuorum obſervationes promiſerat olim Jacobus Bontius, poſtquam apud Indos multis annis vixiſſet, lib. I. Med. Ind. pag. 32. figuras præterea communicaturus Dialog. VII. de conſerv. valetud. pag. 101. quæ tamen non ſine artis inſigni detrimento huc usque delitescunt. Ne patiantur iſthæc & alia plurima, quibus in Batavis maximè, & Britannia, Illuſtrium quorundam ac doctorum Muſèa & Bibliothecæ exornantur, diutius in tenebris ſitu & ſqualore obduci, aut tinearum ſaginâ abſumi, unanimi voto exorandi erunt, qui poſſident, & quorum ingentia merita nemo non æſtimat, poſterique dignis perpetuò laudibus efferre non ceſſabunt. Doronicum itaque Sinenſe, quod Arabes & Perſæ uſibus ſuis familiare deſcripſerunt, quantum à noſtro differat, quantumvè conveniat, nonniſi ex herbariis Sinenſium plantæque ipſius inſpectione cognoſci poteſt, quemadmodum & aliæ ſtirpes propemodum innumeræ, quarum ſubinde hinc venientium mentionem injiciunt. Ita & Aali Ebn Aabbaſus X. Pr. c. VI. Doronicum præſcribens in Diamoſchu, de Sinenſi intelligendus, quod Interpres Stephanus quidam Antiochenus *Dearimegum* non minus corruptè, quam II. Pr. c. XLIII. §. 435. *Derumegum* appellabat, calidum & ſiccum, ſtomachi flatulentiæ, matricis, inteſtinorum, cordisque adfectibus commendans: quemadmodum & II. Pr. XXXIV. §. 22. *Hercanicon* dictum, id eſt Hypericum, melius pronunciabat, quod è Sinis adlatum eſſet, calidum, ſiccum, ſubtile, venas uterum ac hepar expurgans, urinam & menſtrua movens ac vulnera humidiora deſiccans: & II. Pr. XLIII. §. 420. *Mamiranum Sanicum* excellentius, eſt Chelidonium Sinenſe, aliaque ap. alios plurima, quorum nonnulla in Variis adduximus. Hoc ipſo

autem prætcrea de controversia Gesneri & Matthioli quid sentiendum sit? constare poterit, quorum unus veneni culpam impingere satagebat, alter acriori studio amoliri conabatur. Quod sanè si scivisset CL. Hofmannus, tam diu adversantes hoc tanquam effugio eludere potuisset, donec & forma exoticæ radicis, cum floribus foliisque suis accuratius innotesceret, simulq; pateret, numquid & illa ad aconiti genera, an potius caltharum alpinarum & alismatis pertineret? Quidquid tamen aliquando fuerit, Doronicum, quod vulgo Romanum appellant, & quod radice scorpioide frequentius adhibere solent, non tantum omni malignitate vacuum, sed & præterea insigni vi cardiaca pollere planum est, quam tot deinde aliæ sequuntur, eò sinceriori experimentorum fide, quò certius τὸ βασιλικὸν τῆς καρδίας recentiorum industria reductum & restabilitum, reliquis membris vigorem facultatum aut infundit, aut conservat, & auget. Neque Doronico veneni suspicionem adfricare poterit, quod de pastúra stirpium venenosarum cum alii attulerê, túm Plinius X. 43. venenis capreæ & coturnices, ut diximus, pinguescunt. Nam X. 23. dixerat: *coturnicibus veneni semen gratissimus cibus, quam ob causam eos damnavêre mensæ.* Ubi omninò, non: *veneni*: Sed *veratri*: legendum quod ex MSS. Codd. cur Dalechampius margini tantum illeverit, nulla sat gravis ratio apparet, quia in contextum recipi debuisset. Neque quod capras perpetuò febrientes Varro I. rei rust. c. III. prodiderit, & nunquam sanas testatur is, qui Florentini nomine in Geoponicis habetur, neque quod caprillæ esu in Libya epilepticos fieri auctor libri de morbo sacro scripserit, propterea & rupicapræ minus ad remedia præbenda idoneæ censeri possunt. Nec enim per omnia eandem feris Naturam, quam domesticis esse, satis manifestum occurrit, neque quæ homini venena sunt, propterea & brutis animalibus letifera, aut vicissim, jam ante advertimus,

Theophra-

Theophraſtus IX. hiſt. plant. c. XIIX. clariſſimè: Naturas diſcernens, Thraſyas Mantinenſis idem aliis medicamen, aliis non medicamen eſſe ajebat. Addamus nos aliis in cibum, aliis in medelam cedere, aliis denique venenum quoque comperiri. At verba Varronis etiam emendari poſtulant: *De emptione aliter atque de ovibus dico, quod capras ſanas ſanus nemo promittit, nunquam enim ſine febri ſunt: itaque ſtipulantur paucis exceptis verbis, ac Manilius ſcriptum reliquit ſic: Illas capras hodiè rectè eſſe, & bibere poſſe, habereq́ꝫ rectè licere hæc ſpondeſne?* Beroäldus tantum: *habereq́ꝫ licere*, quod præferendum videtur, interdum enim in villa haberi legibus prohibebantur notante Andrea Alciato ad tit. de ſignif. verb. Comm. in l. de teſt, ſi lex prohibet capras in villa haberi, nec hircos quidem habere licebit: atque ita ex facto reſponſum conſtat Alber. in ſta. I. q. CIV. arvis enim calamitoſum præſertim Baccho infeſtum id animal eſt. Tranſpoſito igitur vocabulo ſcribendum: *rectè eſſe, & rectè bibere poſſe, habereque licere.* Nec enim placet, quod Petrus Ciacconius in notis à Fulvio Urſino editis ad Manilianam hanc venalium vendendorum legem, ut Cic. l. de Oratore appellat, *habereq́ꝫ rectè licere*: interpretatus ſit: *arbitrio boni viri* l. LXXIII. D. de verb. ſignificatione. Nullus enim emptione facta ultra arbitrio locus, ſi legibus haberi prohibeantur, neque arbitrio alterius habere licere quiſquam ſpondere poteſt, cui de ſententia illius nondum conſtiterit. De lege autem Varro ipſe l. c. *Lege locationis fundi,* inquiens, *excipi ſolet; ne colonus capra natum in fundo paſcat. Harum enim dentes inimici ſationis, quos etiam aſtrologi ita receperunt in cælum, ut extra limbum XII. ſignorum excluſerint. Sunt duo hœdi & capra non longè à tauro.* Sed hoc poſtremum ridiculum, nec Varronis ſapientiâ dignum. At paullò ante ap. eundem Agrius inter leges Colonicas recenſebat: *Colonus in agro ſurculario ne capras*

 compa-

compascat. Cæterum Gesneri experimentum satis sibi constat, qui radices Doronici innoxiè ad usum adhibebat, eumq; sequuta universa deinde pharmacopœorum cohors. Nos quoque frequenter epilepticis, Colicis, vertiginosis, & hypochondriacis præscripsimus. Id unum nunc monere debuimus, quamvis verissima omnia, quæcunque de Gesneri modo sumendi ex aqua calida narravimus, non tamen simplicem intelligendam, quod quidem tùm mirabamur, sed illam compositam, ab ipsomet in fine tr. de oxymel. helleb. descriptam: Cujus quia tanta vis esse non poterat, ut crudarum & siccarum duritiem satis corrigeret, argumentum quoque nostrum infirmare non debuit. Quod verò pasturam ipsam rupicaprarum attinet montosis quidem & asperis locis lubentius versari notissimum existimamus, qui ideò veteribus αἰγίβοτοι dicebantur, notante Adr. Turnebo XII. ad vers. II. interdum tamen ad inferiora quoque descendere, & rupes quidem colere, non tamen summas, ut ibices, Gesnerus advertit. A festo etiam D. Jacobi IIX. Cal. Augusti frigidiores montium clivos petere, ut paullatim frigori adsuescant. Quod & Virgilius Georgic. III. innuit de domesticis:

Pascuntur verò silvas, & summa Lycæi,
Horrentesq; rubos, & amantes ardua dumos.

Et Gattius, cujus poëmatis laciniam de damis sive capris silvestribus (parum enim animadvertens confundit) in calce subnectemus, sæpius etiam ad valles, silvasque & clivos descendere ajebat strophe. CL. quam supra citavimus, & CLVII. quam heic adscribere voluimus, quia plantas quoq; nonnullas enumerat, olim nobis intactas:

Huc igitur tendunt, quà densa cacumina montis
Juniperi horrentis gratior umbra tegit
Quaq; genista caput mediis circumsita juncis
Erigit, ac spinas inserit alta jugis.

Aut ubi se campos vallesq; effundit in imas
Fertilis, & tenerâ mollior herba comâ.
Ista quiescendi quærunt loca, solis ab æstu,
Hac notâ fessæ meridiantur humo.

Et CLXIX.

Chaônias silvæ heic glandes ac arbuta præbent,
Ingratum dumi rustica pruna cibum.
Corneolas spinas, nemorisq; recessus amati
Mille alit, & vapido germina rore rigat.
Succrescunt teneris virgulta agrestia ramis,
Et latè pandit brachia verna frutex.
Lucidus heic amnis placidis demurmurat undis
Cur mutent patrii commoda tanta soli?

De Junipero certè vix dubitare liceat, quando ejusmodi folio-la acuta & spinosa sæpius in ægagropilis deprehendimus. Genistam quoque olim obiter nominavimus. Junci autem, quemadmodum & gramina arundinacea probum alimentum pecori nunquam præbent, nec feris etiam commoda videntur, quorum esu non tam præclusis faucibus, quam ventre inflato veneni, quod illis inest, violentia, nec quod acutie venis vulneratis sanguis in ventriculum effundatur, quæ Jac. Theodori Tabernamontani opinio erat II. Herb. sect. VI. c. II. Nam *Albardus* quem apud Alzaravium tr. XIX. Pr. c. I. Interpres juncum reddiderat, splenis adfectibus utilem, papyrus est Ægyptia, quam longè ineptius interpres Ebn Roschdi *Olobardam* in Eupatorium commutabat V. Coll. XLIII. fruticem Plempius appellabat, esculentum sanè, unde Ægyptii papyrophagi dicti, ideoque alterius Naturæ, quam junci vulgares, & καλαμάγρωστις, quæ Diosc. IV. 31. ἡ ἐν Βαβυλῶνι κτηνῶν ἀναιρετική. Cui ad c. XXX. ἄγρωστις, in spuriis Cratevæ, αἰγικὸν additum, tanquam à capris expetitum. Gattius iccircò aut Poëtarum fingendi potestate

 excu-

excusandus, aut de genistæ & sparti caulibus erectioribus intelligendus, cujus spinosum genus scorpii nomine describit Theophrastus VI. histor. plant. c. I. At quod de glandibus ac arbuto subjunxerat, de tenellis quercuum & arbuti frondibus, ac comis potius, quam fructibus, accipiendum putamus, Cerri inprimis majore glande Dodon. quæ Ægilops Idæorum in pin. Bauhini, quemadmodum & de pruno agresti, & corno arbore, cæterisq; virgultis, vepribus, ac fruticibus, quorum priori dissertatione meminimus. Corneolæ spinæ, Chamæcerasus alpina, corno feminæ Theoph. similis arbor. III. hist. plant. XVII. συκῆ περὶ τὴν Ἴδην: & Plinio XV. 18. quæ licet spinis careat, in dumetis tamen locis montanis inter spinas lætissimè provenire solet. Rhamni item, oxyacanthæ, agrifolii, rusci, & rubi plura genera in alpibus frequentissima, quibus addenda spinis destituta, ligustra, tamarisci, myrtilli, vaccinia, Xylostea, à quibus haut dubiè sapor ille parumper acerbus & adstrictorius, qui manifestè in pulvere Ægagropilorum percipitur. Horum autem fastigia *plantæ* Virgilio dicta, in illo: *Nec summa defringe ex arbore plantam*: ut sanè ingeniosè hujus exemplo apud Varronem de Ling. Lat. Petrus Victorius legendum censuerit: *ramulos plantarum:* non; *partes:* ut alii ediderant, fide inprimis Codicum suorum adjutus explic. in castig. suas §. LIIX. Addenda etiam in Maronis Eclogis toties laudatus cytisus, quem *Florentem sequitur lasciva capella.* Et Georg. III. frondentia arbuta: nec non quæ Columella III. 28. (sive ut Basileensis editio librum huncmalè ab reliquis avellens, ut singularem, de arboribus inscripserat, c. XXIX. Tredecim enim non XII. reliquisse, ex Cassiodoro colligitur apud quem Divin. lect. c. XXIIX. non XVI. sed XIII. legendum existimamus) cytisi sationem docens, de salice, genista, & arundine conjungebat. Ut sanè non ad pastum, sed medicinam caprarum pertineat, quæ de arundinibus per bulbos sive
oculos

oculos singulis scrobibus obrutos Palladius III. 23. & cum spinis albis, adfusâ aqua pluviâ, contusis idem Columella VII. 7. prodiderat. Virgilius quoque l. c. *cytisum lotosq; frequentes*, salsasque herbas miscebat. Et T. Calpurnius Eclog. II.

Me teneras salices juvat, aut oleastra putare
Et gregibus portare novis, ut carpere frondes
Condiscant, primoq; recidere gramina morsu.

Nos tamen heic quoque non *gramina*, sed *germina*, quamvis reclamantibus omnibus editionibus, mallemus. Sic enim & Eclog. V. de frutetis verè & eleganter:

Incipe falce nemus vivasq; recidere frondes
Tunc opus est teneras summatim stringere virgas.
Tùm debes servare comas, cum permanet humor,
Dum viret, & tremulas non excutit Africus umbras.
Has tibi conveniet tepidas fœnilibus olim
Promere, cùm pecudes extremus clauserit annus.

Paulloque post:

Tu tamen & læves hederas, aut molle salictum
Valle premes gelida.

Sunt utique & salici, & hederæ, & oleastris non contemnendæ vires, quæ Ægagropilis quoque accedere queant, si modò constiterit, his quoque rupicapras vesci. Salix certè alpina repens in monte fracto & alpibus Helvetiis XI. prodromi Botan. Bauhini c. IIX. & saxatilis minima l. c. descripta. Jucunda etiam illa adlusio Athenæi XV. 8. de Nico, prostibulo, capræ cognomine nobilitata, quod Thallum mercatorem divitem de pereuntem consumpserit fortunisque omnibus exuerit, θάλλος enim oleæ ramus est, caprillo pecori expetitus, *Clabula & talea*, Varroni ap. Non. Marcellum c. IV. Capra oleæ inimica Plin. XV. 8. & IIX. 20. *Morsus earum arbori exitialis.* Et: *Lambendo olivam sterilem faciunt, eaque ex causa Minervæ, non*

E *immo-*

immolantur. Ubi tamen non nemo legendum putabat: *Minervæ immolantur.* Sic enim solebant, animalia Diis illis immolare, quæ plantis nocerent tutelæ illorum commissis. Ita Virgilius II. Georg. de vite:

Cui super indignas hiemes, solemq́ potentem,
Silvestres uri adsiduè capræq́ sequaces
Illudunt. Paulloque post:
Quantum illi nocuêre greges, duriq́ venenum,
Dentis, & admorsâ signata in stirpe cicatrix.
Non aliam ob causam Baccho caper omnibus aris.
Cæditur.

Cujus sacrificii delineationem artificiosissimam in veteri lucerna apud Hieron. de S. Sophia, Medicum Patavinum nobilissimum perelleganter expressit Fortunius Licetus VI. c. XXVII. quin etiam Junius Philargyrus ad illud Maronis: *verubus torrebimus exta colurnis*: Corylos adsumptos ideò putabat, ut nocens bestia eo virgulto coqueretur, quod ipsum quoque vitibus noceret. Sic sanè Ravisius Textor apud Plinium exclusâ particulâ negante legebat, cui tamen minus elegantiarum plerique concedunt, quandoq; etiam, ut rhapsodum quempiam, inscitiæ & ἀκρισίας reum peragentes, Cœlium Rhodiginum, ut conjicimus, sequutus, cui eadem lectio probata. Varro tamen I. Rei rust. c. III. diversas causas enumerans *eodem odio Bacchum caprum videre pereuntem* ajebat, *& Minervam ne quidem videre voluisse.* Agnâ sanè in tubilustrio Quinquatrium sacra Palladi fiebant ap. Varronem, & Jovi, Junoni, & Minervæ, Sueotaurilibus eædem victimæ à Domitiano in Taciti histor. IV. 53. 4. immolabantur, quæ ap. Festum sunt taurus, aries, & verres. Jovi etiam, Minervæ & Victoriæ simul sacra faciebat Alex. Magnus apud Q. Curtium. IV. 13. 15. & IIX. 2. 32. Huic autem etiam capræ cædebantur. Nec obstat, quod Athenis capræ in arcem

arcem nec admitterentur, nec immolarentur, prodente Athenæo, alii enim cultus, & alii ſacrorum ritus aliis in locis eſſe poterant: quinque enim Minervas ſolus Cicero recenſet III. divinat. §. 29. è quibus πολιοῦχον ſeu urbis cuſtodem conſiliorum ſuorum adjutricem colebat orat. XXIX. §. 144. Ita de Thebanis Herodotus quoque Euterpe. c. XLII. arietes Jovi ſacros non mactare quidem, ſed tamen quotañis unum occidere, cujus pellem illi inducant. Idemque de Ægyptiis, propter Panos ſimilitudinem referebat c. XLVI. Quid quod Minerva Oncæa & Phœnicia non alia, quam Aſſyriorum Venus, & Veſta apud Scholiaſten Æſchyli in ſupplic. & Nonnum IV. Dionyſiac. Minerva item Cæſaris. VI. Comm. bell. Gall. eadem cum Uranie Arabum & Herodoti lib. III. *Orotalat* in MS. Bodlejano, & alilahat, de qua Cl. Pocokius ad Abulfarajium not. pag. 107. cui à Meccanis ſuis Coreiſchitis non tantum frugum partes, ſed omnigenarum pecudum ſpecies dicari & conſecrari ſolitas, Muhammedus Corani Suratâ: אלאנגאם ægrè ferens acrius reprehendit, quo nomine etiam capræ, ovesque, & pecudes quæcunque, non armenta tantum comprehenduntur; quæcunq; paſci ſolent: *moutons, brebis, Chamaux, & vaches:* ut habet verſio Gallica Illuſtris viri Andreæ Ryerii, capitulo hoc gratificationis, ſive, ut Jalalloddinus commentator vocabat, animalium nomine inſcripto, id eſt, arietes, oves, cameli & Vaccæ. Quamvis enim CL. Hottingerus lib. III. Bibl. or. c. II. latioris ſignificatus verſionem coarguerit, ſæpius tamen, quid per gratificationem intelligat, ipſe Muhammedus ibidem edicebat, illorum ſcil. acceptilationem, quæ Deo conſecrata, nec ſolis animalibus, ſed etiam fructibus conſtabant: Ita ſanè idem Ryerius: *Dieu n' en donne à manger, qu' à ceux qui veut gratifier:* id eſt *Deus non niſi illis edenda dat, quibus gratificari vult:* aut: *qui ipſi grati atque accepti ſunt.* Blaſphemos autem & Idololatras ſubinde vituperabat,

qui quidquam immundum, quod Deus dedisset, pronunciarent, aut quod Diis oblatum & εἰδωλόθυτον edendum negassent: quo numero etiam referebat; *les fruicts de la terre*; terræ fructus. Sed & Ovidius V. fastorum de Floralibus, cum Venerem interrogâsset:

Cur tibi pro Libycis clauduntur rete leænis
Imbelles capreæ, sollicitusque lepus?
Non sibi respondit silvas cessisse, sed hortos,
Arvaque pugnaci non adeunda feræ.

Quin nec tam rigidum hoc de caprino genere interdictum in sacris Minervæ videri debet, cum Fauni quoque capripedes ac ægicerotes, sive, ut Mœcius in Anthologia Græca lib. IV. c. XII. epigr. CXX. vocat, αἰγόνυχες, in basi lucernæ illius conspiciantur Patavii in Pinacotheca perillustris viri Jo. Galvani ICti, quam elegantissimam nobis monstrabat, & pluribus exponebat in secessu Bibliothecæ suæ ipse Fortunius Licetus, eopse tempore, quo Minervæ esse ostendere conabatur, dum libros de lucernis antiquorum conscriberet. Sed ut ad plantas redeamus, unde digressi sumus, præter salicem & oleam, sameram quoque cythisum, & hederam, vel etiam lentisci cacumina cum aliis frondibus tenuibus præbebat Columella VII. 6. quo loco *sameram* sem. Ulmi exponebat Beroäldus, nos *Ameram* legendum suspicamur, quo nomine vesiculas semen continentes intelligi ad Hieron. Reusneri obs. CXXXVI. notavimus Quibus addenda Ribasia alpina minora Bernatum, in prodromo Bauhini XII. 3. & majora Valesiana. l. c. Mespilus item aronia sive hypomelis, quæ Coptica linguâ βαρμκακανα apud Ebn Cabarum. Operæ sanè pretium & jucundum fuerit illis, in quorum potestatem vivæ rupicapræ devenerint, pasturam adhibitis diversis herbarum fasciculis, & fruticum arborumque frondibus explorare, quales apud Valesios propè Sedunum cicures ali ex Jo.

Stumpfii

Stumpfii descriptione Helvetiæ narrabat Gesnerus histor. an. I. c. propr. Fruticibus utique atque virgultis magis, quam herbis delectari, olim ostendimus, caprarum quoque domesticarum exemplo, quibus volupe est non tantum suprema culmina carpere, sed etiam arbusculas ipsas petulantius prosternere, ut hanc ob causam Avernici in Gallia easdem asphalto liquido, sivè petroleo nigro Clarimontano, ex fonte oleaginoso illinere soleant, quoniam id illis maximè adversum norunt. Nos interim nonnullas alias addamus, quarum priori dissertatione nulla mentio facta est. Filicis inprimis genera πτεϱυγώδεα, præclaris virtutibus prædita heic minimè aliena censemus. Holostea item petræa, lonchitides, polypodia, Cirsia, atractylides, chondrillas, conyzas, solidagines, Pseudodictamnum item fraxinellæ nomine notiorem, & dictamnum ipsum Creticum aut Cretico congenerem de quo Gattius str. CLIII. CLIV. & CLV.

Illis tam validam monstravit Jupiter herbam
Quæ mox letifero vulnere tela trahat.

Myrtus quoque huc referenda, erica, & Rhus obsoniorum, Ilices, fraxinus, bryonia, lupuli, smilaces, saxifragæ, inprimis Pauli & Oribasii, quæ osteocolla Absyrti opinione Guilandini in Synon. MSSis. sive saxifica Tuscorum Tragopogonis species, & lacteâ radice ad scorzoneras reducenda. Caryophyllatæ, heptaphyllum, trifolia alpina, laburnum, coccygria, ulmus, Viburnum, sambucus montana, vincetoxica, caprifolia, Cerasus aviaria seu Mahaleb Arabum, Cyperi, Seseleos genera diversa, thalictra, & rutæ Capraria, hyssopus montana, luteola Cannabina Bauhini sive lutea maxima Creticâ Honorii Belli, & fruticescens Jo. Ponæ, quam Chloridem Aristotelis viridulam potius, quam luteolam, Theod. Gazæ reddendam fuisse Guilandinus animadvertebat in Syn. MSSis. à Jo. Scheurlino & Cl. Chifletio sociâ operâ conscriptis, multò & melioribus & copiosioribus, quam

quæ Jo. Georgius Schenkius emiſit, in quibus hoc quoque omiſſum, cujus nos ſupra occaſione ptarmicæ Coptitarum meminimus, quod eam & *Ibicem* Kircherus reddidiſſet. Caryophyllus holoſteus Gemmenſis in alpibus Rhæticis VI. prodr. 5. ap. Bauhin. huc quoque pertinere poteſt. Chamædrys item alpina hirſuta Helvetica & Tirolenſis VII. 4. Bellis alpina Gemmenſis Valeſiorum. VII. 11. Clematis alpina geranifolia IIX. 3. & cruciata Auſtriaca Jungermanni. l. c. pentaphyllum Rhæticum. IIX. 14. Valerianæ alpinæ variæ. IV. 27. Trifolium alpinum ſive glycyrrhiza aſtragaloides Bernatum, & ſaxatile. IX. 6. Euphraſia lutea bulboſa eorundem VI. 16. & alpina cœrulo purpuraſcens ejusd. in pin. cui noſtra ſententia non abſimilis Ægyptiaca *αβερσιων* Ebn Càbari, : אלאברשא והי ערק אלסוסן *Sudor lilii*, vertente Kirchero, quamvis etiam *radicem* ſignificare queat. Veronica alpina Helvetica bellidis folio VII. prodr. 2. & Tirolenſis Gregorii de Regio l. c. Teucrium alpinum. VII. 3. Dracontion ſive ſerpentaria, quam rupicapras ſagitta vulneratas, ejiciendis telis, depaſci, nullo tamen auctore idoneo, nec fortè experientia adſeruit Jo. Colerus XIV. Oecon. German. c. LXIII. quo tamen non ari genus quodcunque, ſed biſtorta dubio procul intelligenda, ut vulgò, etſi minus verè, vocatur. Magis tamen convenerit dracunculus alpinus foliis ſcabioſæ III. 6. prodrom. ad plantas ſalſas acresque referendus, quæ rupicapris, non ſecus ac domeſticis, gratiores videntur, quemadmodum & naſturtium alpinum III. 11. Jo. Bauhini, & rapunculus alpinus latifolius Auſtriacus Joachimi Burſeri. *III.* 1. Spondylium alpinum parvum Bauhini IV. 19. hirſutum Rhæticum & glabrum l. c. Centaurium alpinum luteum *III.* 20. Campanula ſerpillifolia Paſchalis Galli in alpibus Rhæticis frequentiſſima *III.* 1. & echioides. *III.* 2. Hieracia alpina ibidem varia. *III.* 29. Perfoliata alpina non unius generis. *III.* 20. Tanacetum alpinum

num

num Gesneri sive Iva moschata Rhætica. IV. 1. Ægipyros Theocriti Idyll. IV. & Theoph. II. hist. plant. IX. Anonis Lud. Anguillaræ opinione IIX. in I. simpl. quia φυῖὸν ἀκανθῶδες, non frumenti genus, ut quidam existimabant. Nec enim spinosa tam capræ domesticæ, quam rupicapræ aversantur, ut olim jam ostendimus. Unde huc quoque accersi possent Cardui molles Austriaci. X. prodr. 9. Sphærocephali, & cirsia angustifolia, l. c. Lentiscus Damocratis experientia in valetudine Considiæ M. Servilii Consularis filiæ apud Plin. XXIV. 7. Doronica Helvetica, inprimis incanum Bauhini. V. prodr. 8. & crassifolium Valesium Jo. Fleisseri. l. c. Quo forsan apud Sinenses quoq; victitant, præter hypericum & Chelidonium seu Mamiranum, & Scorzoneram Xunkingensem, Taihoang item sive rhabarbarum vulgò dictum, aut rumicem Xansensem, quem Arabes & Persæ, cæteriq; Orientalium Ravvendum Sinense appellant, & ipsum quoque fruticis altitudine: smilacem item seu Folin Lipingensem, Jasminum Pyngyvense, frondes Quei laurinas aut cinnamomeas, virgulta saliciformia Quantungensia. Neque ab re fuerit Morus ampeloides Chekiangensis, & fruticis innominati folia ac summitates, quem Sim. Paulinus Chamæleagnum Tataricam, & Sinensem, Neuhofius tamen potius Cynorrhodi genus nobis persuadere voluerunt: Quamquam an illic quoque pilæ in ventriculis caprarum alpinarum generentur, nondum compertum habeamus, quod tamen ex illis, quæ supra de flavedine vaccina protulimus satis probabile videtur. Hoc sanè de capris quoque montanis sive Ahu Persarum, Indorum, & Libyum in Africa conjicimus, quibus ejusmodi naturam esse lapillorum productio satis evincit, qui vulgo Badzahardicorum Orientalium nomine venditantur. Quibus fortasse & patriæ plantæ in deliciis, à nostris nonnihil diversæ, ut absinthium Chorasanicum ap. Ebnsinam II. tr. II. c. l. & Lucamium

id eſt, in monte Tauro. Myrtus item Choraſanica, quam Plempius Chaſravvanicam appellat, vitioſâ ſcriptura deceptus, quâ ipſe ignotum ſibi hoc nomine locum fatebatur, niſi quis Chovareſmiam intelligere maluerit ſive Choraſmiam, quæ tamen Choraſanæ contermina, unde :בּורסמיי non: בּסראראני ſcribendum ex Arabshiade in hiſtor. Timuri, & Abulfeda, ad utraſq; Oxi fluvii ripas ſita. Anjudanum item ſive Silphium Indicum & Ægyptium, ſeu Magydaris Libyca: Azadarachta ſive arbor libera Hircanorum: Ebenus pumila Æthiopica: Hododum ſive Lycium Indicum. c. IIX. locis aſperis enaſcens: Tharfa ſive Athle aut Tamariſcus Ægyptia & Syriaca. c. IX. Cyminum Caramanicum nigrum, & Perſicum flavum. c. XI. Laija Feravanica & Buſenjana ad montium radices c. XII. Aldaum Indicum, ſive arbuſcula bdelliophora: Nabca ſive lotus ſpinoſa aut connarus quibusdam dicta, plerisque regionibus Orientalibus familiaris. c. XIV. Cyperus Kufenſis & Indicus. c. XV. planta Sacbinejifera Spahanenſis: Rhus Choraſanicus Syriaco major: Nardus Gangetica & Sampharitica hircina: Aarara ſive Cupreſſus montana ſeu Juniperus major. c. XVI. Zizyphus Indica & Perſica, Georgianâ minor. c. XVII. planta Cardamanifera Indica & Armenica c. XIX. Ferula Kinnifera Syriaca: Ocymum Suleimanicum ſive Caryophyllatum Spahanenſe montanum amplexicaule, cujus eſum capris quoque domeſticis ad Diodori Empirici mentem priori Diſſertatione adſeruimus: Fœniculum montanum Orientale: Lepidium Indicum alpinum locis incultis proveniens, odore & viribus Cardamomi c. XXI. Seriphium Taurimontanum & Taphoſiricum Ægyptium: Arza Perſica ſive Cedrus ſpinoſa major, & minor myrticarpos: Chalafa ſive ſalix alpina, & ſaxatilis Orientalium, aut Elæagnus Syriaca, Perſica & Indica: Arbuſcula Cancamifera: Silybum arachnoides, quod Ebnſina Syris :ענכבות dici adfirmabat,

quàmvis

quamvis id vocabulum apud Diosc. quem adlegat, IV. 159. non reperiatur, ut aliis olim Codicibus, & versionibus, Arabas usos non tantum isto, sed aliis plurimis locis appareat, de quibus in Variis nostris ex occasione: Vitex sive Agonus trifolius minor Persicus, qui : שגרה אברהים Ebn Roschdi. V. Coll. XLII. Nanachva Persica (sive Ammium montanum) cymino Æthiopico aut Regio Hippocratis similis: Polium montanum, quod Andriazahara Interpreti ejusdem, minus benè, quia Arabibus Jaada, :געדה vocatur, : אנדרוצרון Andrusarun autem Ebnsinæ, Hedysarum est, & scribendum : אידרוצרין quamvis non diffiteamur Græca etiam alia mirificè distorta & corrupta apud Arabas occurrere. Alteradit quoque eidem vitiosè : לתיה אלתיס Tragopogon, in cujus familia etiam Scorzonera habetur, & Intubus, quæ seris inprimis agrestis, τραγονάτος sive Lychnis silv. & σεμουρα Ægypt. in fragmentis Cratevæ. Lauscemacarium Ebn Roschdi. sive Lycium Macassarense. Agalajon thyiodes & Thyia ipsa Libyca sive Cedrus Atlantica, & Tacifera Cyparissias Dasylyci quondam nostri, ut eum Clusius appellabat, saxatilis & ipsa, ac montana, quorum teneriora germina & παραφυάδας sive stolones, cùm reliqua armenta & pecudes, tùm etiam capræ agrestes carpere solent. Halimus item Diosc. I. 120. παραθαλασσίοις καὶ φραγμοῖς: Ægyptiis ἀσοντιελ, sive ut Vaticanus Codex habet, ἀσουτιελ inter herbas salsas, quæ caprino generi jucundissimæ. Auctor Lexici Herbarii Græcus in Bibliotheca Reip. nostræ MS. τὸ ἅλυμον, δαμασώνιον interpretatur, additque ἔστι δὲ παρόμοιον ῥάμνου, *rhamno simile, damasonium.* Sed istis relictis nostra & propiora persequamur. Sunt enim haut paucæ caprino generi, & rupicapris quoque, ac ibicibus, in jugis alpium, locisque propinquis esu gratissimæ, à quibus egregiæ vires sperari debent. Talis Cacalia Leontica Diosc. IV. 123. quam inter perfoliatas statuit Bauhinus, seseleos autem

Æthiopici nomine insignierat Cæsalpinus, quæ nobis præ lilio convallium Loniceri magis adridet, inprimis si bupleuron angustifolium alpinum intelligatur: quamvis & crassifolium hirsutum Cacaliæ Lucæ Ghini titulo, in descriptione montis Pilati Lugdunensis, Jo. de Choul commemoret, attestante Strobelbergero Gall. Polit. Med. pag. 183. qui etiam in vallibus Nardum rusticam frequentissimam addit & pag. 201. Seseli Creticum sive potius Narbonense, Thlaspi clypeatum serpillifolium, Cnici species spontaneas, & Terebinthi perennis semper virentis omnibus in collibus, locisque apricis, ingentem fertilitatem, nec non p. 209. in monte Setio, Ilices cocciferas, laurus silvestres Cornifolias, Jaceam pineam, & polium marinum montanum, Cretico comparandum. Fumaria quoque alpina luteo flore, Illyrica sive Herba split Sclavonica, huc referenda, de qua notis in I. Udalrici Rumleri obs. LXXXII. κάπνος, βολάνιον θαμνῶδες Diosc. IV. 110. After Atticus Diosc. I. 23. ῥαβδίον ξυλῶδες, cui ex Crateva Rhizotomo in nothis Janus Ant. Saracenus addebat: γίνεται μέσον πέτρων: noctu lucens & opilionibus notissimus. Hippoglossum, Diosc. IV. 132. θαμνίσκος, μυρσίνη ἀγρία καὶ λεπτῇ, τὰ φύλλα ὅμοιος, καὶ κόμην ἔχων ἀκανθώδην: frutex myrto silvestri tenuia folia similia, & comam spinosam habens; nequaquam confundendum cum Valentino Clusii è familia thymelææ, neq; laurus Alexandrina majoribus foliis, Diosc. III. 37. jam ante descripta, sed polygonatum minus angustifolium ramosum Bauhini, quod nos vellemus myrtoides appellare. Nec enim obstat quod de polygonato IV. 6. jam actum fuerit, diversam enim formam & folia, quam lauri sunt, latiora, eidem adscribebat, scordium fruticans ἐν ὀρεινοῖς τόποις. III. 125. Libanotis latifolia minor Bauhini IV. prodr. XX. costi amari titulo à Jo. Neudorfero Med. Norico adlata. Elaphoboscum Diosc. III. 80. libanotidi & fœniculo foliis viribusque simile quod in nothis

ἐλαφι-

ἐλαφικὸν quoq; dicitur, & νεφρίον (pro quo tamen νεβρίον rescribendum) & κερδικέλλος Rom. (pro quo iterum κερβικέλλος) Podagraria item Elaphobosco similis, Valerio Cordo in Diosc. Ægopodium dicta, sive angelica silvestris minor erratica in pinace Bauhini. Rhamnus Diosc. I. 119. nostratibus spina cervina & infectoria, σπῖνα κερβαλις in spuriis ejusdem, & leucacantha, diversa ab Hetruscorum altera, quæ III. 19. ἄκανθα ἡ ἐρπάκανθα ἐν πετρώδεσι καὶ παρύγροις χωρίοις. Ruta montana III. 52. πήγανον ὀρεινὸν καὶ ἄγριον. III. 53. Harmala Arabum & Moly Cappadocicum, nec enim obstat, quod ἐν γεωλόφοις καὶ εὐγείοις χωρίοις nasci dicatur, id est, in collibus læto fœcundoque solo provenire dicatur, montanam enim Germanicam Theodorus Tabernamontanus, & Lobelius, eaque pulcriorem ac legitimam Pannonicam & Ibericam Clusius observârunt: Thracicam autem CPæ nomine Cæsalpinus descripsit, quæ Syriaca triangulari pericarpio: quò referendum etiam hypericum supinum majus Jo. Placæ, rutæ silvestris nomine inter notha à Ruellio rejectum: Eryngium Diosc. III. 24. ὀρεία χλοὴ in nothis, Cherdan Afrorum, seu rectius :קרצענה Kersaana Ebn Beithari. Tragium Diosc. IV. 49. foliis lentiscinis, τραγόκερως in spuriis, quamvis terebinthinis habeat Plinius XIII. 21. & Juniperinis. XXVII. 13. de quo disertè: φασὶ δὲ καὶ τὰς ἀγρίας αἶγας τοξευθείσας, καὶ νεμηθείσας τὴν πόαν, ἐκβάλλειν τὰς ἀκίδας. Ajunt & capras silvestres sagittis ictas hujus herbæ pabulo spicula excutere. Cui addendum IV. 50. alterum foliis scolopendrii per auctumnum hircum olentibus, τράγου ὀσμὴν προσβάλλουσιν. ἐν ὀρεινοῖς καὶ κρημνώδεσι, In montibus & præcipitiis. Nec enim quod in Creta tantum prognasci adfirmârit, experientiæ satis respondet, quam nec ab uno homine omnem quisquam sani cerebri unquam exegerit. In primis, si pimpinella saxifraga intelligenda fuerit ad Fabii Columnæ mentem, quam Tragoselinum

 petræum

petræum vocabat Cæſalpinus, aut etiam Sucudus Ebnſinæ lib. II. tr. II. c. XXI. :שקורדם quam Rauvolſii opinionem Dalechampius in Rovillii opere Lugdunenſi probabat, alterius nomine ad Stœchadem relatam in pin. Bauhini, quod veroſimilius putamus, ac illud, quod incerta adnotatione in Cod. ſuo CP^o. reperta, CL. Plempius ſcordium exiſtimârit, cúm Elkarashius diſertè ignotum fateatur. :שקרוס in MS^o. Vindobonenſi Cæſareo, quo olim uſus Petrus Kirſtenius, unde conjunctis iſtis literulis :שקרדוס Græcorum σκόροδες prodire poſſet, quamquam ſi :ט inſeruerimus, non minus facilè שטקרדוס Stoechados quoddam genus haberemus. Dictamnus, γλήχων ἀγρία Dioſc. III. 37. pulegium ſilveſtre, de quo eadem, quæ ſupra de Tragio, caprarum Cretenſium remedio ad vulnera ſagittis inflicta: quod facit etiam alterum illius genus ramoſius, odore inter ſiſymbrium & ſalviam medio III. 39. Unde in nothis, βελκυάκος, βελζίακος, καὶ δορκίδιον, Dorcadion in verſione Saraceni vocatur. Seneca tamen aut quisquis auctor eſt Tragœdiarum illarum, in Hippolyto act. I. Scen. I. *Cervas*, non capras, *Cretæas* appellat, Dianam adloquens:

Tua Gætulos
Dextra leones,
Tua Cretæas
Sequitur cervas.

De hac autem herba egregiè quoque Alex. Gattius Str. CLIII. CLIV. quæ infra videri poſſunt. Nos iſtud tantum adjungimus, quod Str. CLIV. *Si ſuccus teneræ dulcisq; ſapore bibatur*, aut Poëtæ licentiæ condonandum, ut à quo ἀκρίβειαν ἰατρικὴν fruſtra requiras, aut ſaltem ita accipiendum ut Dioſc. l.c. χυλὸν μετ' οἴνου, præſcripſerat, γλυκὺν intelligens, quod etiam apud Ebnſinam notandum lib. II. tr. II. c. XIII. ubi pulmonis & pectoris adfectibus commendatur. Imò Dioſc. ipſe V. 57.

οἶνον

ὄινον δικταμνίτην describit, εἰς γλεύκους κοτύλας η. δικτάμνου δράχμας δ΄. ἀπόβρεχε: *Dictamni quaternas drachmas in octonis musti heminis macerans.* Quamquam Goupyli libris variantibus, erroris suspicio quibusdam suborta fuerit. In Gallia quoque Narbonensi, qua montibus de Fois plures rupicapras degere ex Strobelbergero retulimus, magnus rorismarini, Lentisci, thymi, stœchados, Nardi spicatæ, Ilicis Cocciferæ, & oleastrum spontaneus proventus est, eodem memorante p. 115. quamvis nobis de ægagropilis illic repertis nihil dum cognitum sit, sed valdè tamen verosimile videatur. His addamus, quæ auctor anonymus non indoctus dissert. de Lana Caprina §. CX. de ægagropilis referebat: pilas nempe herbaceas esse existimans, quæ temporis tractu coctione absumantur, neque haberi posse, nisi feræ, antequam pilæ penitus à ventriculo confectæ in nutrimentum cesserint, capiantur. Quod tamen minus vero consonum videtur, nam & priori dissertatione morbosi quidpiam jam ostendimus, & quovis anni tempore pilas reperiri notissimum est, quod tamen fieri non posset, si auctumno tantum concrescerent, per hiemem, defectu pabuli, absumendæ. Lonchitis Diosc. III. 162. Romanorum κολουβρίνα à macularum & laciniarum figura, qua scolopendram refert, ut nos legendum putamus, non, καλαβρίνα, quæ in excusis habetur: nec enim Calabriæ peculiarem aut valdè familiarem experientia hactenus ostendit. Sed satis de materia plantaria jam dictum, quam incertam, merisque conjecturis innixam, tam diu fateri cogemur, donec curiosior aliquis propiora experimenta ceperit. Nec tamen id ipsum fortasse tanti referet, quod itidem priori dissertatione commonebamus, cùm præcipuas vires haut dubiè ex animali ipso deducere oporteat. Nec enim dum opinionis nostræ pigere potest, quam de fermento ventriculi rupicapris proprio, sive ut vulgo vocant, specifico, ἰδικῷ καὶ ἰδίῳ, ad Aristotelis mentem, addu-

ximus. Quamvis enim nonnulli fermentationi infensiores, aut saltem elementaribus veterum coctionibus tantùm addicti, multis rationum momentis in istam doctrinam pugnare sint aggressi, parum tamen profectò hactenus promoverunt: Ut si Vuillisii & Kergeri erudita scripta spectemus, vix aliquid nobis relictum sentiamus, quod nunc demum proferri mereatur, cùm illa quoq; quæ singulari exercitatione Martinus Schookius disceptabat, solidè refutata sint apud doctissimum Bartholinum Cent. III. epist. XCVI. & XCVII. ut heic repetere nilquidquam attineat. Sed nec in cæteris cogitationes nostras, (ut in omnibus Naturæ negotiis) nunquam rigidiori τῆς ἀποδείξεως censurâ vexandas, ulli unquam obtrudere satagemus, minori probabilitatis forte contenti, quam solam propemodum plerosque humanæ sapientiæ conatus moderari, nemo, nisi qui omnia, ignorat, nemoque nisi adrogantiæ typho inflatus diffitebitur. Juvabit tamen argumenta celeberrimi viri, quod valdè speciosa appareant, leviori, ut dicitur, brachio perstrinxisse. Ajebat enim cibos, quam maximè ad fermentationem dispositos, nec citius digeri nec salubriores esse. Cui vicissim nos illud Aristotelis regerimus I. problem. I. ὑπερβολὴ καὶ ἔλλειψις νοσώδης: excessus pariter & defectus vitiosus est, & morborum ferax. Et alterum è XII°. Fabii Quintiliani: *Ratio plena est ac tutissima ferè per medium via, quia utriusque ultimum est*, Nimirum in ejusmodi rebus omnibus illud quoque semper animis obversari debet Philosophantium voce tritissimum: *Cæteris paribus*. Vix enim unquam paria comperiuntur, si ipsas Naturas animalium, ut impolitiores, appellarent, individuales, variasq; temperamentorum, locorum, motuum, exercitiorum, quantitatis deniq;, qualitatis, præparationis coquinariæ, modique adsumendi, ac reliquarum circumstantiarum varietates consideremus. Atque ut unico exemplo expediamus, cum pane optimè fermentato vix lauda-

laudabilior cibus excogitari queat, fieri tamen consuevit, ut nisi heic quoque illi, qui depsunt, & cum fermento subigunt, illud Solonis Atheniensis ap. Stobæum serm. III. observârint: μηδὲν ἄγαν: sive nimium immiscentes, sive minus quam fuerit necesse, concoctionem quoque deinde in ventriculo minus felicem aut facilem subsequi, nemo non deprehendat. Quin etiam qui adsumunt, non uno fermenti in ventriculo suo modo, nec eadem copia ac efficacia pollere, certissimum putamus, ut nec eandem in omnibus concoctionem perfici persuadeamur, quod in ejusmodi omnibus accidere solet, quæ τὰ πρός τι philosophis vocantur. Quod verò nec salubriores cibi fermentationi aptiores comperiantur, eàdem illa expositione & mediocritate indiget, quam Tullius I. Offic. plerisque rebus optimam pronunciabat, atque de cætero τὸν τῆς αἰτίας ἔλεγχον proclivi aberratione committere potest, cui præterea exempla idonea defutura videntur. Quin multa etiam externa saluberrimos cibos corrumpere, & coctionem fermentabilem subvertere possunt, quorum tamen causa nec in ventriculis, nec in illis ipsis quærenda fuerit, quod aliquando etiam salis πλυμίρου, succique λιθοποιητικοῦ accessione in ægagropilis fieri dicebamus. Quod si, quæ fermentationi magis minusve disposita occurrunt, simplici quodam intuitu considerentur, illa certè præ istis facilius semper concoqui, planissimum apparet. Panem utique ἄζυμον, furfuraceum & crassum, unà cum laganis, pastillis, libisque farraceis, clibaniten item & escharitem, concoctu difficilem non aliam ob causam plerique censuerunt, quam quod nec probè elaboratus, nec sale & fermento satis conditus foret: Ut è contrario τὸν μάλιστα ἐζυμωμένον καὶ τεθλιμμένον Simeon Sethi c. περὶ ἄρτων, sive ut in cæteris MSSis legitur περὶ ψωμίων, εὔπεπτον judicavit, de quo adsensu Galeni l. alim. fac. II. & IV. san. tuend. VII. ac Ebnsinæ lib. II. tr. II. c. XXIV. Nobilissimus Sebizius II. de alim.

fac.

fac. c. l. permulta egregia & utiliſſima diſſeruit. Quod verò de tumore ventriculi addebatur, quem in ſanis quidem hominibus nullum moleſtius perſentiri adſerebat, cùm tamen vix abeſſe poſſe ſuſpicio oriatur, ſi fermentationis ingenium ſpectetur, parum evincere valebit: Nec enim in latitudine quacunque ſanitatis, quâ τὸ οὐδέτερον Herophili verius explicabat, quam evertebat Cl. Hofmannus lib. I. Inſtit. IV. §. 1. quidquam tale ad ſenſum accidere neceſſe eſt. Cùm enim per atomorum ſolutionem quandam contingat, quæ ipſa eleganter cœca corpuſcula Lucretio dicta, ita & ὄγκοι illarum, ut Epicurus appellabat, ἀόρατοι ſunt, nec ſtomachum violentius in tumorem attollunt, quamdiu ſuæ Naturæ legibus extra culpam feruntur. Quod ſanè ut commodius fieret, Natura ipſa ventriculum è membranis ita compegit, ut non ſolum eſculentis ingeſtis, ſed etiam fermentatione ſeu coctione absque ſenſibili moleſtia diſtendi poſſet. Quid quod in ſanis etiam eructationes fermentationem plerumque vel guſtu judice reſipiant. Nam quod nonnulli ſalinum, alii acidum fermentum, alii item è liene corrivent, alii ſtomacho congenitum contendant, parum rem ipſam attingit, quæ nudum calorem propugnantibus non minus controverſa, aliis igneum, aliis cœleſtem, & æthereum, aut divinum, aliis denique animalibus proprium, & peculiarem effingentibus, quorum diſſenſus nec magni faciendi ſunt, quia liberiores cuivis eſſe debent, neque noſtrum nunc fuerit hoc loco arbitrari. Acidum tamen, quotquot hactenus inſpeximus, omnes in ſuis fatentur, etiam illi, qui recentioribus inventis Stenonianis ſalivam ſingularibus ductibus in os, œſophagum, & ventriculum confluentem, & ipſam quoque acidiuſculam indubia ſenſuum fide, ideoque & fermentationi convenientiſſimam, chyloſi utique ſummê neceſſariam, compererunt. Cui certè addendum, quod de mixtura ſpiritus acidi & volatilis animalis ad lymphæ

ſive

sive laticis nervosi Naturam constituendam perpulcre differuit eruditissimus Franc. Silvius disput. Med. IIX. §. LXI. Et hoc quidem fermentum ventriculo congenitum, qui chyli tamen reliquiis foveri, augeri, & refici existimant, utrisque satisfaciunt, & Naturæ ipsi quam proximè accedunt. At pinguia ægrius fermentescere, (quod ulterius objiciebatur) & putrida, quibus tamen multi commodè victitent; nec ipsum magni momenti videtur, quin commodâ interpretatione è vestigio dispellatur, & evanescat. Verissimum quippe, quod de Alpicolis, inprimis Tirolensibus Volf. Hœferus lib. I. Herc. Med. c. VII. advertit, multa quidem alia delirium frequens, seu verius stuporem quendam, & amentiam illis inducere, sed maximè victus rationem, in qua præcipuè polentas, & pastas avenaceas butyro cocto perfusas, ut difficillimas concoctu accusabat, & lib. I. c. IIX. superioris belli tempore multos annonæ penuriâ, in Suevia & Bavaria Nyctalopas factos commemorabat, non aliam ob causam, quam quod defectu pinguedinis ξηροφαγεῖν ipsos oportuisset, quod contra Phil. Hechstetterum Poliatrum nostratem experientissimum, ejusmodi causam ridentem, apud Greg. Horstium lib. III. epist. pag. 481. absurdum non esse docere conabatur, quod cibi deteriores è fungis, lino, avena, lolio, & radicibus tetros fumos in cerebrum submittant, nisi multo butyro adfuso facilior per intestina transitus, & dejectio, procuretur. At è contrario Cl. Hofmannus, nec ipse absque evidenti ratione lib. V. Instit. c. XV. præcipuam causam sibi persuaserat, cur tot in Germania Elephantiaci, sive, ut ipse loquebatur, leprosorum cœnobia occurrant, quam pinguium usum. Quotus quisque enim est, ajebat, etiam cultiorum, ut de butyro non dicam, qui non avidissimè voret pinguedines carnium bubularum, quas ex Ungaria habemus, & ovillarum, de porcinis non dicam cui, animali peculiaris morbus est grando, qui ad malum hoc horri-

bile diſponit. Lepram certè & elephantiaſin, atque omninò omnia ejuſmodi vitia cutanea, læsâ tam in ventriculo, quam corde, hepate, & liene, ciborum, chyli ſanguinis, & laticis fermentatione ac percolatione oriri ſatis cuivis veroſimile habebitur, ſi totius quoque ſubſtantiæ occultiorem modum non penitus excludat. Quamvis enim occultæ proprietates (ut obiter hoc aſpergamus) plerisque ut aſylum ignorantiæ traducantur, non tamen ignavum, ſed ſalutare pronunciabat Julius Scaliger Exerc. CCXIIX. ∫. 8. neque novorum hominum, quo nomine diffamare conabatur Cl. Hofmannus in Patholog. c. XLII. & lib. II. Inſtit. Med. c. III. ∫. IIX. totam ſubſtantiam ſive ἰδίαν ὅλης τῆς οὐσίας à Galeno ſubſtituens, ad ſecundas & tertias qualitates referendum V. Inſtit. c. LIV. ∫. III. & IV. manifeſtâ origine, de quibus tamen verè Scaliger & ſubtiliter l. c. *Nemini comperta ſunt caloris in igne principia, neque reddi poteſt ratio, cur calori frigus adverſetur.* Et paullò ante: *ad manifeſtas omnia reducere qualitates ſumma impudentia eſt.* Hanc utique dum conviciorum plauſtris in ſeipſum admiſerat Jo. Freitagius in ſecta, quam fingebat, Sennerto Paracelſica, parum exiſtimationi famæque ſuæ conſuluit, nec meliora usquam adduxit. Debebant autem illos occultis qualitatibus æquiores reddere manifeſtæ nec ipſæ dum ſatis cognitæ, imò fortaſſe non minus, quam illæ ignorabiles. Unde hoc paradoxum defendi poſſet, aut omnes qualitates occultas, aut nullas dicendas eſſe. Utrumq; igitur nocivum exceſſus & defectus, quod ſupra jam ex Ariſtotele oggerebamus. Utrique moderatione propterea obviandum. Pertinet enim hoc quoque ad illam virtutem, quam Græci σωφροσύνην, Cicero III. Tuſcul. quæſt. ∫. XVI. temperantiam, modeſtiam quoque appellabat, à frugalitate diſtinguens. Quid quod fermenteſcendi facilitatem in pinguibus etiam, vel ſola butyri aceſcentia, ſive ut Dioſc. vocabat, τὸ παροξίζειν,

ξίζειν, ſuculentiſſimè evicerit. De putridis autem non aliud tenendum, quam quæ Cl. Conringius jam olim ad Billichium de ferm. Exerc. ad c. IV. perſcripſerat, cum hac ipſa res quasdam verè diſſolvi & putreſcere demonſtraret. Quod denique de acidis ipſis non facilè fermenteſcentibus, ideoque cum aliis plurimis tanquam valetudini noxiis proſcribendis, ſubnectitur, unà cum ſale concoctioni promovendæ aptiſſimo, & tamen fermentationi adverſo, noſtram ſententiam nequidquam ſubruit, aut convellit. Fruſtra enim tanquam conceſſum adſumitur, quod multis exemplis negare poſſumus: cùm acida tantum non omnia promptiſſimè fermententur, & acetum ipſum facillimâ ἐκζυμώσει vappeſcat & corrumpatur, niſi cum cura conſervetur, quod etiam in fructibus quibusdam acidis, aliisq; haut paucis ſpontaneo motu & Chemica induſtria ſæpius fieri, abundè oſtendi poſſet. At ſalium cùm diverſa tot genera exſiſtant, non omnia tamen fermentationi contraria adfirmamus, ſed illa tantum, quibus τȣ͂ σύμπηκτικȣ͂ plus quam τȣ͂ διαλυτικȣ͂ ineſt, aut etiam præterea aliquid τȣ͂ λιθογεννητικȣ͂ acceſſit. Nam heterogenea diverſis partibus conſtare ſingula, analyſis deſtillantium ſatis declarat, ut multis ſermonum ambagibus nihil id opus ſit heic latius deduxiſſe. In noſtro certè communi & coquinario ſive eſcario ſpiritum acidum latere, quis eſt qui neſciat? niſi qui nihil de Chemicorum operibus reſcivit? quin etiam flores volatiles particulas quaſi in ſe reconditas habere ſublimatio docet, quibus evaporantibus, aut alias deſtructis fit μώρανσις illa, ſive infatuatio, de qua θεάνθρωπος Dominus noſter loquitur Matth. V. 13. & Luc. XIV. 34. ac ἅλας ἄναλον ut Marcus vocat IX. 50. Nam quod aneponymus auctor cryſtallos, ſpiritum, tincturas, & Q. eſſentias ſine diſcrimine omnes inter non entia, ut vocat, Chemica retulerit, nimis diffuſum, nimisque generale licentius prolatum eſt, & longius à vero recedere experientia oſtendit.

Nullum iccircò χυλώσεως θεῖον confingere necesse est. Si enim hoc nomine Naturæ vim & providentiam intelligamus, in reliquis etiam, & circa fermentationem manifestissima occurrit. Aliud verò supra illius facultatem, & consuetudinem τὸ θεῖον Hippocrati denotabat, quod pluribus ostenderunt Nobilissimus Sebizius & Hieron. Jordanus, uterq; singulari opere pererudito. Neque, ut finiamus, nobis dum displicet, quod priori dissertatione de calore nativo, ceu generali actionum animalium instrumento minimè excludendo adjecimus, quo tamen nulla illarum determinari potest si masculè philosophari velimus, solutionibus sanè Chemicorum ignis quoque externi adminicula fermentationem pari ratione promovere videntur, utut nonnulli ingentem differentiam subesse opinentur. Illi utique, qui calorem ventriculo proprium coctionis causam genuinam subdubitârunt; externum tamen viscerum adjacentium admittere non recusarunt. Qua de re liceat versiculos Hispanicos Equitis Alphonsi de Fontibus adducere ad Philippum II. Regem scriptos in libello philosophiæ Naturalis, quòd extra rhythmorum consuetudinem, singularis cujusdam generis satisq; numerosi decurrant (Quamvis enim non nemo Lopesii de Vega, XI. tomos Dramatum eodem idiomate pulcerrimè conscriptos, rhythmis itidem minus perfectos criminatus fuerit, scire tamen omnino debuisset, utut hæc consuetudo carminum ubique ferè nunc obtineat, fuisse tamen, cùm elegantia illorum ad solos pedum numeros Arabum imitatione Hispani exigerent, apud quos sanè aliud versuum ingenium, aliud homœoptotorum frequentiorum delicatulum lenocinium etiam soluta oratione nemini peritiorum ignotum esse potest) sic verò ille de ventriculo:

Porque mayor retenga, es aspero por de drento,
Y questo que sea frio, pero calienta se mucho.
Porque el higado lo cerca casi todo, y a la parte
Derecha tiene la hiel, y a la yzquierda el coracon.

Que

Que toto esto es caliente, y por esto se calienta,
Come la olla en el fuego, pero queriendo hablar
Propriamente en esto caso, digo, que el cibo se cueze
En el stomago y no, que el estomago lo cueza,
Pero dentro en el se muda esto cibo casi en forma
De una agua de cevada, come muchas vezes vemos
Si despues d' aver dormido un poco el hombre reviessa.

Quæ nos reddidimus: Ut magis retineat, interius asperatus est ventriculus, atque ut maxime frigidus exsistat, plurimum tamen calefit ab hepate, quod illum ferè totum ambit, & dextra parte, qua fel habet, ut sinistra, qua cor omnino calidum. Unde ab istis quoque instar ollæ ad ignem calefieri solet. Ideoque si propriè loqui velimus hac de re, ajo, cibum sive in stomacho coquatur, sive non, in ipso tamen mutari in formam quasi aquæ hordeatæ, sicut sæpius videmus, si postquam quis parum dormierit, deinde revomat.

Non plebeja hæc aut recentior opinio. Jam olim inter vett. Romanos plurium animos occupârat, qui cùm cœnare tantum adsueti rarius pranderent, (ut quod Platonem quoque in Siculis sive hominibus Italicis reprehendisse Cic. advertit. V. Tuscul. quod bis in die saturi fierent.) ita plerumque horas dispescebant, ut prima & secunda salutationibus impenderetur, tertia & quarta forensibus negotiis, quinta & sexta palæstræ ac exercitiis, septima & octava balneis, nona demum & decima cœnæ, quam longius sæpissimè protrahentes commessationibus, indulgebant, illudque Ofelli apud Horatium II. Sermon. Satyr. II. omnino aversati:

Quæ virtus & quanta boni sit vivere parvo

In stomachi vitia incurrebant, quæ Cels⁹ IV. 5. iccircò vulgatissima & pessima vocat Nam, apud eundem Venusinum l. c. *variæ res.*

Ut noceant homini, credas, memor illius escæ
Quæ simplex olim tibi sederit. At simul assis

Miscueris elixa, simul conchylia turdis,
Dulcia se in bilem vertent stomachoq; tumultum
Lenta feret pituita: vides ut pallidus omnis
Cœna desurgat dubia? & quæ sequuntur.

Onusto igitur ventriculo cibis nondum confectis & cruditatibus pridianâ crapulâ relictis solebant nonnulli in balnea se conferre, ut coctionem ijs calidioribus promoverent, existimantes cibos in stomacho non aliter, quam in aheno, coqui. Quod tamen ut valdè absonum est, ita illud nocivum Galenus libro de marcore taxaverat, nunquam lavandum aut exercendum hoc statu corpus docens IV. san. tuend. c. V. & IX. Sed Diatrion pepereon potius exhibens & dormire jubens, quod maximum remedium etiam Hippocrati laudatum de vict. rat. in ac. Comm. IV. §. 105. cui adsensum præbuerunt Ebnsina lib. II. sect. II. doctr. II. c. V. & tr. IV. de remov. nocumentis in regim. san. ex error. rer. non Natural. & Rasæus IV. ad Almansor. c. XIIX. nisi sicca & calida intemperies adfuerit, cum tepidâ conveniens apud eundem IX. 63. & I. division. 59. At Romani cùm aliquando fortè id successisse observassent, & illi, qui diem frangerent, mox à jentaculis, & prandiis etiam iñoxiè lavarentur, in consuetudinem traxêre, quod rationi tamen adversum est, licet non ignoraret C. Celsus, hoc tamen quasi indultum proferebat, IV. 5. *Illud quoque in omnibus stomachi vitiis præcipiendum est, ut quo modo se quisque æger refecerit, eodem sanus utatur. Nam redit hinc imbecillitas sua, nisi iisdem defenditur bona valetudo, quibus reddita est.* Debebant autem id scivisse, calorem internum ventriculi, ut viscerum viciniâ, & ambientis aëris externi calore foveri verosimile sit, ita tamen in sessibus intempestivis & frequentioribus aquæ calidæ evocari, imminui, & dissipari. At istud sanè mirari satis non possumus, Virum doctissimum notis in Veslingii Syntagma Anat. cibum à ventriculo in chylum converti

verti (sed suo tamen sensu) abnuenti eandem hanc similitudinem adeò placuisse, ut nihil eidem ulterius, quam ollæ concederet, cui tamen in jusculum materiam commodam commutandi nulla potestas insit. Tanto sanè discrimine hæc dissidere planum est, quanto à Cœlo terra distat, & inanima artis opera ab Naturæ vi animatis. Fermentum præterea nullum neque calorem ex se aut aliam quamcunq; vim coctioni utilem, fictilibus aut cacabis etiam metallicis inesse quivis intelligit, quale tamen nos stomacho meritò adsignamus. Nam de bile, quam Valæo attribuit, priori dissertatione jam vidimus, ductibus nempe reclamantibus, per Naturam non in ventriculum, sed duodenum insertis, quemadmodum & de atra bile, quam à liene Highmorus advocabat. Hanc tamen, si non excrementicium, sed nativum humorem acidum interpretari liceat promptissimè admittere possemus, unà cum calore & spiritu vitali instrumenti vices gerente, non causæ principis, quia nec ubique id facit. Quam verò opinionem eidem Valæo C. Irvinus adscribit in Medicinalibus ejusd. Londini editis, haut parum à bile & genuinis auctoris cogitationibus discrepare videntur, quas olim apud amicos docentis ab ore exceptas vidimus. Ajebat enim dissolutionem ab humore acido valdè penetrante (non bile) fieri agitatione caloris & liquatione seu fusione à spiritibus vitalibus per arterias influentibus, cùm nulla totius corporis pars plures arterias, quam ventriculus, habeat. Probâ utique sententia, si humor acidus de fermento, ut primaria causa, reliqua de instrumentis, calore scil. ac spiritibus accipiantur. Quos sanè ut per arterias, non venas, influere verissimum credimus, ita quod de illarum copia adjectum est, in ventriculo, licentius apparet, nec vero consonum, aut Valæo anatomes peritissimo dignum. Paucæ enim illæ sunt & exiguæ, si cum aliis comparentur. Plures utiq; in liene vicino conspiciuntur, cujus tamen magnitudo

ad

ad illum collata in homine vix octavam partem æquaverit. Nec enim de äortæ truncis & plexibus choroideis in abdomine, thorace, & cerebro, quidquam adferre lubet. Istud autem propius vero, quod Amplissimus Silvius de spiritibus animalibus per lymphatica eò delatis, ad constitutionem fermenti facientibus ingeniosè conjectabat: Nam istam laticis Naturam singularibus scriptis jam dudum viri quidam eruditi exposuêre, ut heic uberius nihil attineat recitâsse. Cæterum hæc omnia, quæ de fermento dicebamus, in rupicapris quoque & generatione ægagropilorum accidere deinceps etiam credemus, dum meliora atque solidiora doctiores attulerint, quibus deinde adsensum præbeamus. Magni interea nos æstimare par est, quod eandem sententiam suffragio suo Magni quidam viri probârint, in quorum numero eminet modò laudatus Silvius part. I. disput. Med. I. At intellectâ fermentationis Natura proclive deinde est, læsiones p. n. sponte investigare, de qua iccircò nunc nihil addimus, quia vulgato Peripati dicterio: *contraria contrariis elucescunt, & se ipsa vicissim illustrant.* Ad ægagropilos iccircò redeuntes omittere non possumus, quin avaritiam & nequitiam quorundam paucis perstringamus & detestemur, qui haut ita pridem in contumeliam Naturæ, & decipiendis emptoribus, ac ægrotantium spei fallendæ, ausi sunt ex plantarum quarundam staminibus fibrisque radicum tenuioribus, inducta etiam chylismate earundem cute nigricante, pilas effingere tam similes nativis & αὐτοφυέσι rupicaprarum, ut nisi quis in illarum dignotione exercitatior animum probè adverterit, haut magno negotio sibi imponi serius postea sit intellecturus. Ipso quidem πλήματι seu convolutionis ratione, odore, figura, & exterioris corticis aberratione dolus accuratius expendenti prodi potest: certius tamen genuinis venantium testimonio accedet, quod adscriptis mensibus ac diebus anni, quibus animalia captâ, pilæque

exemptæ fuerant, manu præfecti, omnibus illis ægagropilis additum erat, quos supra depingi curabamus. Omnes autem Augusto & Septembri inscripti erant, quos menses balsamicâ quadam virtute cùm plantas universas, & maximè radices earundem, tùm animalium quoque partes, & aëris ipsius inania imbuere vulgata plerisque opinio menti insedit, quam priori dissertatione satis tetigimus, eaque promptius admissa incertum tamen nobis pasturæ tempus, quo primum ægagropili compingi incipiant, monuimus. Cui nunc istud addimus: cùm præcipuas vires fermentum ipsum rupicaprarum potius quam succus stirpium illius efficacia eliquatus suppeditet, non adeò magni ponderis habendum, ejusmodi temporis circa auctumni initia, & æstatem adultam, observationes. Unde jam satis fuerit, quædam de usu ac viribus in Medicina, morborumq; curatione adnectere. Quia enim ab illo tempore frequentius ægrotantibus nostris præscripsimus, & illis quoque, qui ὀρθοστάδην quidem viventes, atque utcunque valentes, ab imminentibus tamen malis præservari cupiebant, haut pauca etiam circa eventus adnotavimus, quos Ephemeridibus & Epidemiis nostris consignatos aliquando, cum DEO, enumeraturi sumus. Nonnulla tamen insigniora, decade gemina comprehensa, heic adduxisse operæ pretium fuerit, ne exemplis & historiis omninò adsertiones nostræ destituantur, sed breviori sermonis genere, quia prolixè omnia recensenda in illam, quam diximus, occasionem servare cogitamus.

DECAS. I.

Curatio. I.

Febris maligna cum ecthymatibus.

Hæc cIↃ IↃc. LXII. per auctumnum, & hiemis initio epidemia plures corripiebat. Multi enim oppressis viribus exstin-

guebantur. Plerisq; maculæ in cute efflorescebant, quas Hippocr II. Epid. sect. III. pag. 1020. in Cod. Foesii, in æstivis Perinthi circa septimam, & octavam, aut nonam demum diem, prodeuntes τοῖσιν ὑπὸ κωνώπων γινομένοις μάλιστα ἴκελα ἀναδήγμασιν. id est, Culicum maximè morsibus similes appellabat, nonnulli latiori τῶν ἐξανθημάτων nomine complecti consueverunt. Jis igitur quibus mox per initia alexipharmaca & sudorifera exhibita fuissent, manifestum auxilium adferebatur, nam V.S s. nulli profuêre, quod venenatos humores ad cor, & vitalia retraxissent. Nos quoq; ægagropilos incisione accuratâ in tenuissimum pollinem redactos cum aquis sudoriferis & Serapiis cardiacis non sine successu exhibuimus: rarissimè aliis admixtis, Nec enim experimentis certioribus capiendis prolixas farragines quisquam prudentiorum utiles judicavit, neque nos medicaminis efficaciæ diffidendum priori jam dissertatione monuimus.

Cur. II.

Febris, cum rheumatismo empyema referente.

Vir Illustrissimus noctu febri correptus cum defluxione impetuosa pituitæ serosæ tenuioris, ad fauces pectus, & pulmones, cum tussi, vigiliis, capitis dolore, aliisq; symptomatibus, infuso mox enemate V.S. admisit in brachio ad sex circiter uncias, altero die mane exhibito in aq. Card. sancti pulv. ægagropili & addito serapio Capill. ven. largius sudavit, atque à febri quidem repetitâ hac potiuncula liberatus est, rejectione tamen sputi quodammodo purulenti relicta, quæ quia à Catarrhi coctione quadam, minus propriè sic dicta, oriunda esset, adhibitis bechicis ipsa quoque tandem percurata est.

Cur. III.

Angina spuria maligna.

S.D. vidua ætatis consistentis anginâ spuria cum febri, malignitatis aperta indicia ostendente, subitò prehensa, & ipsa mox

sectis

sectis in brachio venis,& deinde hypoglottidibus,pulv. ægagropili cum aq.Scorzoneræ, & Serapio Cardui,ternâ vice adsumpsit, & postquam sudasset, adhibitis externis quibusdam, & symptomatum urgentium ratione,aliis præscriptis,ocyus reconvaluit.

Cur. IV.

Pleuritis notha maligna.

Pleuritide cIↄ Iↄc LXI. plures ubique vulgariter infestante,non sine malignitate correpto viro, ea ipsa hora propemodum, qua opem implorabat, S.is M. adhibita, eademque vespera injecto clysmate, nox satis comodè transacta est, fomentis applicitis, mane statim sequente pulv. ægagropili ex aq. Cardui lactei, & serapio papav. rhoeados adsumpto,sanatus est, paucis quibusdam aliis,postquam illa potiuncula tertium repetita esset, ex occasione adhibitis.

Cur. IV.

Febris stigmatica coccinea puerperæ.

Conjux Nobilissimi D. C. puerperium vix ingressa febri asode,& pemphyngode,cum vigiliis perpetuis,& jactationibus corporis, non sine suspicione latentis cujusdam scelotyrbicæ malignitatis laborare cœpit,viribus subinde labantibus,multa ab aliis intra quatriduum tentata sunt. Quæ cùm ferè frustra fuissent omnia, maculis quibusdam hinc inde se prodentibus, opinionem ecthymatum vulgò notorum præbuit. Serius nostro consilio usa, cùm spei perparum superesset, elapsis jam commodissimis initiorum occasionibus, quia ad venenum cordi infestum, & tempore jam progressum, omnia dirigenda viderentur,pulverem ægagropili aquâ scorzoneræ cum Serapio succ.Citrii exhibuimus, præter emulsiones alexicacas, & refrigerantes,potionesque cor roborantes, quibus maculæ toto corpore latissimæ, planeq; Coccinei coloris effloruerunt, ipsa tamen deinde obiit, sive quod serius venenum à corde depulsum fuerit, sive quod

conatu hoc, tanquam extremo conflictu, fatigata Natura in ipso opere succubuerit: Huic sanè initio mox alexipharmaca data, salutifera esse poterant, de quibus nulla cogitatio adstantibus nata erat, quod ad communem aliquam è febrium genere, omnia retulissent, refrigerationi tantum intenti, cùm tamen ex illis fuerit, quas novi morbi nomine eleganter descripsit Cl. Gothofredus Velschius. Med. Prof. Lips. & cujus nos quoque exemplum adduximus in Episagm. obs. XIX. atque in aliis deinceps pulv. ægagropili exhibito feliciter successit.

Cur. V.

Dysenteriæ epidemiæ præservatio.

Cùm cIↃ IↃ CLXV. toto Rheni Mœnique tractu dysenteriæ epidemiæ grassarentur, nonnullis nostratum eò tendentibus, præter alia plura, olim commemoranda, usum quoque ægagropilorum, præservationi, & si fortassè opus foret, curationi quoque commendavimus, eo planissimè modo, quem priori dissertatione innuimus, quo sanè observato, nemo illorum quidquam mali perpessus est, quamvis, inter ægrotos ubique versarentur.

Cur. VI.

Pestis Præservatio.

Cùm cIↃ IↃc LXVI. contagii pestiferi metus undiq; incuteretur, haut paucis eundem Ægagropili usum, eadem ratione non sine notabili effectu, persuasimus.

Cur. VII.

Variolæ.

Hæ sæpius annis superioribus, sed cIↃ IↃc LXVI. maximè ap.nos vagabantur, non pueros tantum, sed etiam adultos adortæ. Quo tempore & F. M. conjux ac liberi omnes periculosè decubuerunt. Nam & partes internas obsederant, & oculos gravissimis defluxionibus exercebant. Quibus non tantum

Badza-

Badzahardici orientales, ſed ægagropili quoque ſæpius exhibiti, admotis externis, & quæ requirebantur, aliis omnibus adhibitis, omnes reſtituti ſunt.

Cur. IIX.

Apoplexia.

S. D. Vir primâ ſenectute, ſed corpore vegeto, ſatisque firmo ſubitò concidens, amiſsâ voce, motuque & ſenſibus, abolitis, manifeſtum apoplexiæ indicium præbebat. Sanguinem ſtatim mittere juſſeram, Chirurgo tamen tergiverſante, accito alio, qui noſtris nutibus promptius obſequi ſolet, octo circiter unciæ eductæ ſunt, præſentiſſimo namque auxilio eadem veſpera loqui incipiebat, ideoque enemate immiſſo, ſequenti mane ægagropili pulverem, aquâ Chærephylli dilutum, cum ſerapiis Cephalicis adſumpſit, ternaque iteratione ſudore elicito, perfectè convaluit, ut integro triennio nihil deinde mali perſentiſceret, quamvis per alpes quater quotannis iter faceret, ſed neceſſariis ſemper præſervatoriis inſtructus.

Cur. IX.

Epilepſia.

Hoc adoleſcenti correpto, ægagropili pulv. in aq. fl. tiliæ & Ceraſor. aliquoties cum ſucceſſu dedimus, non omiſſis tamen purgationibus, & Chirurgicis præſidiis, aliàs enumerandis.

Cur. X.

Vertigo.

Vir Nobilis, ætate conſiſtente, vertigine vehementius adflictus ut gravioris paroxyſmi, aut epileptici, aut apoplectici, ſuperventum metueret, multa anni decurſu adhibebat, purgationes, V. S . alia. Nec nos iſtorum uſum negligentes rotulas, & confectiones antepilepticas inſigni emolumento præſcripſimus, quibus haut minima ægagropili in pulv. redacti copia immixta eſſet.

DECAS. II.

Cur. I.

Hysterica vertigo.

L. P. conjux consensu uteri variis adfectibus premebatur, sed inprimis vertigine molestissima, cujus causa plurima cùm tentasset, nunquam tamen majorem successum, quam usu Ægagropilorum experta est, quorum iccirco intra octennium plures absumpsit; nos olim in Ephem. nostris uberius enarrabimus.

Cur. II.

Hypochondriaca vertiginosa.

Vir juvenis nobilissimus ipso ætatis flore hypochondriacus, plurimisq; molestiis obnoxius, quas tamen ipse animi commotionibus, & licentiori victu sibi accersebat, aut saltem exasperabat, quæsitis ubique ferè Medicorum consiliis, atque etiam nostro, sæpius & sudoribus lenius ciendis, & visceribus roborandis, à purgationibus, & V. S. cùm res ferebat, pulv. ægagropili ex aquis, & serapiis cardiacis usus est, manifesto levamento. Cujus deinde exemplo aliis quoque commendavimus, multò majoris efficaciæ deprehensum, quam Tragopogonem Hispanicum, seu radices contrayervæ, & lapides Badzahardicos vulgo notos.

Cur. III.

Hypochondriaca splenetica.

Mira istius morbi, ad instar Protei in varias se species convertentis, cum aliis corporis adfectibus, complicatio frequenter se offerre solet. Partium quoque consensu multum diversum plerique non unius generis descripserê. Aliene præcipuè, toti cuidam familiæ nobilissimæ familiarem observavimus, cui & usum ægagropilorum frequentissimum novimus, haut exiguo adjumento.

Cur. IV.

Paresis à dysenteria intempestivè repressa.

Vir nobilis XL. circiter annorum dysenteria in itinere correptus,

reptus, molestiæ pertæsus, ex ovo sorbili aliquoties pulv. Nucis aromaticæ adsumpsit & superbibito vino rubro adstringente, cohibito fluxu, eo ipso momento in paresin incidit, ut lecticâ domum devehendus fuerit. Quò postquam pervenit, præmisso enemate, nostro consilio, ab ægagropili potione ter sumpta commodissimè sudavit, motumq; artuum brevi recepit. Huic empiricorum unctionibus ingens malum induci potuisset, impactis ichoribus, aut resiccatis nervis, tendinibus, & ligamentis, nisi tempori internis potius, quam externis occurrissemus.

Cur. V.

Partus difficilis.

Matrona Nobilissimi Æ. conjux, partu difficili integro die exspectantium spem elusit, cumque infinita propemodum obstetricantium consiliis exhibita, & admota essent, non prius tamen enixa est, quam illi pulv. ægagropili ex aq. artemisiæ & serapio Cinnamomi exhiberetur.

Cur. VI.

Fœtus mortuus.

Eodem anno conjux Nobilissimi viri C. S. sub ipsum enitendi tempus gravissimè adflicta, & inanibus torminibus nihil emittens, suspicionem fœtus demortui adsistentibus præbuit, quam pulv. ægagropili vehiculo conveniente exhibito, ejecto mox embryone, vitâ jam destituto, minimè vanum ostendit; Cujus signum certissimum id obstetricibus habetur, si meconium, antequam prodierit, emittatur, quod sanè hic in ipso uteri ostio profuderat, dum situ planè enormi, & conduplicato quasi corpusculo, summis doloribus extruderetur.

Cur. VII.

Chlorosis.

Virgo Illustrissimi D. F. ipso adolescentiæ vigore, dum eruptionem primæ purgationis exspectaret, obstructis vasis & liberiori humorum commeatu intercepto, illo adfectu laborare

cœpit,

cœpit, quem vulgò Virgineum appellant. Huic præter purgationes, & pulvisculos quosdam aperientes, ægagropili quoq; usus plurimum profuit. Conjunctam enim habebat febriculam quandam, epialæ similem, qualem frequenter adesse Jacobus Thevartus etiam observavit ad Guil. Ballonii Comm. de morb. virgin. & mulier. c. IIX.

Cur. IIX.

Tumor malignus Erysipelatodes brachii.

Amplissimus vir B.F.C. à defluxione biliosa, aut sero atrabilario aliquid venenosi redolente brachium intumescere, & erysipelate obduci animadvertens, multa aliorum consilio, externa præcipuè admovit, aucto in deterius malo, exhibito pulvere ægagropili, & discussa sudoribus blandioribus malignitate, admotis deinde telis emplasticis, facillimè persanatus est.

Cur. IX.

Hypocophosis cum apoplexiæ metu.

Hac Nob. vir I. L. P. diutius adflictus postquam multa in cassum aliorum suggestione adhibuisset, præmissis Vniversalibus, & quantum necesse erat, repetitis, deinceps sæpius ægagropilis, ad Diaphoresin, & robur cerebri humidioris felicissimè usus est, multisque annis sanus ac vegetus supervixit.

Cur. X.

Arthritis hysterica c. metu convulsionis.

Nobilissimi S. conjux primâ senectâ postquam menstrua cessâssent, arthritica facta, non sine manifesto Uteri consensu, adhibitis aliorum consilio plurimis, cùm tamen non convalesceret, nostro denique purgata, quantum videbatur, præter externa quæpiam, vaporariis herbaceis, optatis successibus usa est, præsumpto semper pulvere ægagropili cum aquis sudoriferis, & Serapio aliquo cardiaco ac cephalico edulcatis: Serosis nimirum ichoribus vaporum specie resolutis, & dispulsis, à quibus arthri-

tidem

tidem frequentius oriri peritiores omnes consentiunt. Quæ sanè de fermento, plantisque supra attulimus, majorem ægagropilis vim inesse ostendunt, quam fimo, quem caprillum ad calculum laudabat Diosc. II. 99. & arquato ac febribus pseudo Galenus II. Evporist. XXXIX. σπυράθους ὀρείας αἰγὸς, Lucianus in Tragopodagra, more suo irridens commemorat, unde tamen tùm temporis arthriticis usitatos colligas: capræ pilulas, non satis benè, omissâ montanæ denominatione, reddiderat Jo. Bapt. Montanus. Fimo quippe ibicum sanatus Ausonius Medicus apud Marcellum Empiricum c. XXV. quem tamen vix Julium Ausonium Vasatensem Medicum in Aquitania maximi nominis, & patrem Magni Ausonii Burdegalensis, Vindiciani Archiatri præceptorem credere licebit, cum illum nonagenarium omnibus membris sensibusque integrum objisse testetur Josephus Scaliger in vita ejusdem lectionibus Ausonianis præmissa. Plinius de capris feris. XXIIX. 24. *Illinunt & ventrem cœliacis fimo cum melle decocto*, quod pariter de serpentum morsibus edixerat XXIIX. 10. addens: *Millia remediorum ex eo animali demonstrantur, sicut apparebit, quod equidem miror, cùm febri negetur carere. Amplior potentia feris ejusdem generis, quod numerosissimum esse diximus. Alia verò & hircis. Democritus etiamnum effectum ejus auget, qui singularis natus sit.* Et XXIIX. 16. *Quin & ischiadicos*, ajebat, *uri, sub pollicibus pedum ex eo fimo fervente utilissimè tradunt.* Hippocrates tamen non in pedibus sed ipso osse Ischii ustiones adhibebat. VI. aphor. LX. si adfectus jam valdè diuturnus esset, absumendis scil. mucoribus ibidem collectis, ἰξῶς μύξαις. aphor. LIX. acetabulo impactis, laxatis ligamentis, & trochantere sive capite femoris extra sinum protruso. Id ὠμολίνῳ καίειν auctori de morbis. At podagræ venas paullò supra articuli nodum in digito, eodem inurebat. Cujus modum Cælius Aurelianus V. tardar. I. docet

I . *Cauteri-*

Cauteribus hamatis sive aduncis inter anchistra positis peragendam, radice struthii, fungis ligneis, aut linteolis reduplicatis, inter pollicem & digitum demonstrativum, quem Græci λιχανὸν καὶ δεικτικὸν vocant, cui addenda, quæ de Ægyptiorum & Arabum ustionibus Alpinus recenset II. Med Ægypt. XII. Vero tamen similius videtur Ausonium interius potius adhibuisse, cùm ustionem tot aliis perficere proclive fuerit, præ quibus nihil singulare ibicum fimus possidet. Caprillum certè domesticum cum aceto in sinapismum redactum mercatori Savonensi cum fructu proposuit Matthæus Ferrarius Gradiensis Consil. XCI. Et Plinius clarissimè l. c. *Capras negant lippire, quoniam eæ quasdam herbas edant, item dorcades, & ob id fimum earum cerâ circumdatum novâ luna devorare jubent, & quoniam noctu ægrè quoque cernant.* Eadem sanè utendi ratio etiam contra Ischiadem fuisse potuit, quamquam illa inceratio nullius momenti videatur, ideoque ad περιεργίας potius superstitiosas rejicienda. Cinerem quoque fimi caprini laudavit idem Plinius XXIIX. 16. ad podagram, quod de externo aliquo cataplasmate accipiendum. Quidquid tamen sit ad internos usus fimo multo honestius & aptius, aliæ rupicaprarum, aut ibicum partes præferri possent, ut sanguis, quem *pastu lentisci hydropicis salutarem* Plinius testatur XXIIX. 17. Sebum quoque phthisicis expertum apud eundem XXIIX. 9. & Aëtium tetr. II. serm. II. c. 150. cui adstipulatur Barthol. Carrichterus in penuario suo Germanorum c. XV. Nam quod nonnulli: *lupi & capræ:* legendum suspicati sint, affaniæ sunt meræ audaculorum contra codicum fidem, quibus nequidquam indigemus, auctoribus suis iccirco relinquendæ. Sed & quod signum caprinum à Druso Tribuno plebis haustum Plinius XXIIX. 9. memorârit, ut pallore & invidia veneni sibi dati insimulare Q. Cepionem inimicum posset, parum ad rem fecerit, quin id ferè cujusvis

cruoris

cruoris nocumentum, dum in ventriculo coägulatur, observatum est. Ipse enim XXIIX. 10. caprinum cæteroquin contra toxica venena, ut contra reliqua hœdinum commendaverat. Jecur præterea rupicapræ nyctalopiæ laudatum ab Alex. Benedicto II. Pr. XXXIII. Pulmones autem vino rubro loti, decocti, & siccati, arcanum quondam ad phthisin habebatur Christophoro Heupergero Poliatro Augustano, qui multis, Principibus ac Comitibus à consiliis & valetudine erat. Coägula quoque hinnuli, dorcadis, platycerotis, dorci, Cervi, vituli, ac bubali omnia iisdem viribus prædita Diosc. II 85. adseverabat, contra aconitum præcipuè sumptum & lactis concretiones extollens, ut Plinius XXIIX. 14. ad vitia intestinorum, quem locum apud Ebn Serafionem mutilum arguebat Ulysses Aldrovandus. Sic enim Interpres tr. de simpl. c. CCCCXLIV. *Coagulum agni, & hœdi, & vituli, & animalis dicti falatrifros, & illius, quod dicitur dorcas, & Ibicis, habent hæc omnia virtutem similem.* Scribendum tamen pro *Falatrifros*, פלאטיקרוס *platyceros.* Hinnulum quippe & cervum omissum putabat, reposito ibice pro bubalo. Ant. Pasinus adnot. suis Ital. in hunc locum etiam plura desiderabat: damas nominans, capricornos, rupicapras, cervos, & bubalos. Ubi vicissim tamen illud Diosc. ex Codd. aut versionibus Ebn Serafionis corrrigendum addebat de coägulo vituli marini: quando *nec dum natare possunt:* hoc modo, quando *nec dum pascuntur aut edunt.* Fel quoque lusciosis conducens, humor Origeni contra caliginem dictus. Fel dorcadis apud Hippocratem faucium vitiis cum melle utile. Sterilibus, ἀτόκοις, conceptionem promovens apud auctorem Græcum Gynæceorum qui Moschionis nomine editus, c. CL. σαλυρίου σπέρμα καὶ χολῆς δόρκου τὸ ὑγρόν. Semen Satyrii cum felle capreæ, singulari loquendi formula: τὸ ὑγρὸν humidum, pro sufficiente, τὸ ἀρκοῦν: tantum scil. humoris, quantum satis fuerit, at ap. Sextum

Placitum de iecore idem adfirmatur, ad eos scil. qui ab hora decima non vident. Nyctalopes enim intelligendi, quia hac hora, aut nona præcedente, post balnea & lotiones Romani consueverant noctem cœnasque suas ordiri, ij inprimis qui de die nullum aut parcius prandium sumpsissent. Nimirum non excluso aut abjecto id felle accipiendum. Quo etsi capras & capreas (ut alij legunt) felle carentes Plinius producat XXIIX. 10. ipse tamen sequenti mox c. 11. quid in medendo possit? exponit, nec aliter interpretari fas fuerit, quam ut de cervo quoque ἀχόλῳ incertior imperitorum fama ferebat, de quo Aristot. II. histor. anim. XV. aut equo apud Plin. XI. 37. & Elephante Galen. VII. administr. anat. X. quod de vesiculæ choledochæ defectu, ductu bilario statim in intestinum porrecto, perpulcre explicuit Carolus Ruinus singulari volumine de Anatome equi, & eundem in sensum plura doctissimè disseruit Hermannus Conringius de sanguinis generatione & motu. c. XVI. Hujus autem permixtione in fimo vires antipodagricas, siccandi & discutiendi præcipuè oriri videntur, ut à fermento in ægagropolis. Nec enim pro excremento mero bilem habendam jam olim Paracelsus, & ante Helmontium Amplissimus Silvius disput. Med. VI. docuerunt. Ille sanè eò usque progressus erat, ut inter viscera Naturalia collocandam contenderet, vesiculæ inprimis fabrica perquam eleganti permotus. At Silvius non ex chylo secedere, sed ex sanguine per arterias cysticas delato generari existimat §. 36. chylo à fecibus alvinis ex fermentatis alimentis secernendo, & juvandæ pituitæ intestinalis ab omnibus prædictis separationi: cujus causa sanguini per hepar refluenti admisceatur disp. IIX. §. 40. Fel Capreæ cum succo Cyclaminis aut anetho usto suppositum ventrem solvens ap. Sextum Placitum C. IV. quod alijs omnibus commune est, cavendo tamen ne ægrotus hæmorrhoi-

das

das patiatur. Ubi pro *induito*: omninò: *indito*: legendum. At quod de cerebro caprino ad caducum & phantaſma infantium præcavendum per annulum aureum trajecto apud eundem l.c. habetur, de rupicapris quoque intelligi poteſt, quamvis trajectio ipſa ſuperſtitioſa & ſuperflua videatur, ut cui majori emolumento aurum quocunque modo bracteatum, aut Chemicè præparatum admiſceri queat. φόβοι enim Hippocr. III. aphor. XXIV. pavores, Galeno in Comm. φοβεραὶ φαντασίαι incubus Gaſp. Hofmanni opinione III. Inſtit. c. XC. §. I. pavores epileptici, quales Arabibus: אם אלצביאן: vocantur, quod vulgares interpretes: *Matrem puerorum*: reddiderunt: nos *Novercam* potius appellamus, nam & hanc vocula Arabica ſignificat. Ipſe utique ſuccus nutricius, cujus copiâ ex cerebro per nervos dimanat, acidiuſculus guſtantibus comperitur, non ſecus ac fermenta & coagula ventriculornm. De auro autem potabili tam vero quam ſophiſtico, alijsque utilioribus Chemicorum præparationibus plura notavimus ad Cent. I. Conſil. exotericorum LVII. & C. II. conſil. XXVII. Quin etiam coägulis præcipuè vires non niſi ex fermento ventriculi derivandæ ſunt, ut bilis ab illo, quod cruori peculiare, & fortaſſe etiam latici eſt, cùm utrique ſalem quendam acidum ineſſe ipſo ſenſuum judicio conſtet. Cineres caudæ & pellis Ibicum ex vino contra venena laudabat ille, qui phyſicen Hildegardis nomine poſteris obtrudere auſus eſt lib. III. c. XIV. fuiſſe enim quendam ex Italis, Germanicæ non ſatis gnarum vocabula utriuſque linguæ ineptius inſerta ſatis evincunt. Hæc tamen prolixius exponere alterius loci fuerit. Nunc verò paucis ſubinnuiſſe ſatis ſit, ut de virtutibus ægagropilorum quisqe facilius plura conjectare poſſit. Nec enim ab re Gattius in poëmate ſuo ſtr. CLV. cùm dictamni vires enumeràſſet, addebat etiam ſequentia de capris ipſis:

Nec contenta istas miro conamine vires,
Impressisse herbæ raraq́; dona suæ;
Ne quid deficiat capris concessit easdem,
Dum folia admorsu carpere sæpè solent.

quòd nos priori dissertatione ex Georgij Pisidæ Cosmurgia de λύθρῳ αἰγὸς ἀγρίε sive sanguine rupicapræ pariter monebamus.

Superest, ut aliquid de tempore capturæ adijciamus, quàm circa Arcturi ortum plerique optatissimam constituêre. Cujus quidem rationem sat gravem fortasse nemo reddiderit, quin semper aliqua dubitandi materies relinquatur. Quid etiam de viribus ægagropilorum tùm temporis captorum animalium sentiendum sit, olìm liberius ediximus. Vetustam siquidem opinionem Theodorus Gaza libello de mensibus è Galeno ostendere conabatur, cui IV. de sanit. tuenda. cùm alia, tùm feni. Elates quoque maximè maturum optimumque censebatur περὶ τὴν ἐπιτελὴν τε ἀρκτέρε. Cui nunc istud quoque addimus: Cùm quidam olim à duabus festivitatibus illas oriri persuasi essent, multos quoque religiosis consecrationibus plantarum ad spectra & fulmina dispellenda quondam usitatis, deinde ad superstitiones & veneficia abusos, ut festum herbarium inde dictum propterea jam dudum abrogatum rectè adverterit Herm. Vitechindus: non secus ac alterum quo Friderici I. Imperatoris jussu frugibus sua pretia pro anni proventu constituebantur, à præfectis provinciarum, in desuetudinem multas ob causas venit, eodem memorante. Quam enim *venalitatem victualium* vocabat præfectus provinciæ ap. Cassiodorum XI. Var. edicto XI. antiquior & multum diversa videtur: *Temporis enim* (ajebat) *debet subjacere rationi.* Non: *emptoris*; quòd librarij literas pervertentis erratum in textum à doctissimo Brosæo nequaquam recipi debuisset. Rectè enim Jodocus Lorichius Theologus Friburgensis Brisgojus tr. de superſti-

perſtitioſis medicationibus aliisque artibus c. IV. herbarum, rerumque Naturalium quarumvis uſum etiam externa appenſione non improbandum arbitrabatur, niſi cerimoniæ inutiles inter effodiendum certisque ritibus carpendum, per certas quaſdam perſonas, delectu horarum, & precularum atque ſacrorum ſermonum adhibeantur. At quod Novembri menſe commodiſſimum rupicaprarum venatum Joachimus Camerarius prodiderit, quia tùm hiemis incipientis aſperitatem fugientes ad inferiora ſe conferant, ut ſæpius verum ſit, non uſque tamen & ſemper experientiæ reſpondet. Jam ſupra enim ab Auguſto & ſeptembri locis inferiorib9 paullatim adſueſcere dicebamus. Quin iſtis menſibus non minus quã Novembri capi ſolere ſatis notum eſt, quamvis propterea ſententiam noſtram non evertat. Idem verò illis, quod capris domeſticis, concipiendi, geſtandi, & pariendi tempus obtingit, quod ap. Varronem II. rei ruſt. III. definitur his verbis: *Quod ad fœturam pertinet, deſiſtente auctumno exigunt á grege è campis hircos in caprilia. Item ut in arietibus dictum. Quæ concepit poſt quartum menſem, redit tempore verno.* Ita Baſileenſium editio. Beroaldus rectius: *reddit.* Et Columella VII. 6. *tempus admiſſuræ per auctumnum ferè ante menſem decembrem præcipuè, ut propinquante Vere, gemmantibus frutetis, cùm primum ſilvæ novæ germinant fronde, partus edatur.* Id Gattius ltr. CLXI. in damis & rupicapris accidere ait.

Tempore nimirum, quo ſe Vulcania proles
Mane ſinu vaſti mergit in Oceani.

Occaſum heliacum innuens Aurigæ ſive Heniochi dicti in phænomenis Arateis Germanici Cæſaris,

Eſt etiam Aurigæ facies ſive Atthide terra
Natus Erichthonius, qui primus ſubjuga duxit
Quadrupedes.

Cujus

Cujus nativitatem è terra turpissimam Apollodorus III. de Dijs comemorat, Vulcani adulteri præpostero conatu, & μηροβιασμῷ Minervæ: Capram & hœdos portantis ap. eundem Germanicum:

Numina præterea secum trahit unde putatur
Nutrix esse Jovis, si verè Jupiter infans
Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ,
Sidere quam claro gratum testatur alumnum,
Hanc auriga humero totam gerit, ac manus hœdos.

Sive, ut Grotius ex MSS. emendabat:

Hanc auriga humero portans, gerit at manus hœdos.

A Novembri propterea usque in Martium tempus illud extensum, sive ab occasu Vergiliarum usque ad æquinoctium vernum ut ad Hippocr. mentem Galenus annum dispescebat Comm. I. in III. Epidem t. I. Natalis Comes III. de venat. quà de rupicapris.

Caprarum nomen partus & tempora vitæ,
Lucinæ Venerisque dies sunt omnibus istis,
Alpibus occurrunt altis silvisque nivosis.

Quamvis enim omni propemodū anni tempore nonnullæ ab avidioribus capiantur, & venationem hanc damularum & rupicaprarum Decembri mense, cibis aptissimam notârit Dominicus Romulus, Pannuntius dictus II. Architriclini sui Italici c. XXIIX. sub capricorno scil. dum à sole percurritur, primoque ejusdem ingressu solstitium hibernum constituit, qui Lucano. IX. & X. Pharsaliæ: *humidus ægoceros*: plerumque tamen modestiores fœturæ tempore venatibus abstinent, ne uno aut altero oblectamento ferarum multiplicatio impediatur, ipsæque exstirpentur, sed etiam futuris temporibus aliquæ supersint, & quædam quasi posteritas subnascatur. Ita in constitutionibus sive legibus Genevensium §. XCVII. habetur, *ne cuiquam liceat feras prohibitas venari ab initio Martii usque ad septembrem, pœnâ XX.*

flore-

ſlorenorum, & confiſcationis bombardarum ac retium. Sunt autem in alpibus quoque vicinis Allobrogum plurimæ rupicapræ & Ibices. Nam quod in Calendario ruſtico Farneſiano November quoque *Deanæ* (ſic enim Diana appellatur archaiſmo in Colotiana inſcriptione etiam conſpicuo) adſignetur, cum tamen ſcorpii ſignum præferat, Octobri potius noſtro reſpondet, ut December ſubſequens, ſagittario præfixo, Novembri, & ſic deinceps: quod mirum à Fulvio Urſino nullá adnotatione aut animadverſione dignum habitum fuiſſe. Nonnulli præterea partus rupicaprarùm circa Delphini ortum contingere adſeruêre, qui cùm ſit varius, explicatione omnino indiget. Ovidius VI. Faſtorum.

Navita puppe ſedens delphina videbimus, inquit,
Humida cùm pulſo nox erit orta die.

Ubi ortum acronychum deſignari nemo non videt. Hunc autem IV. Non. Junii Romæ fieri hinc concludebat Jo. de Sacroboſco, quod cum XIX. gradu ſagittarii oriretur, quippe è regione ſolis occidentis, in Calendario Lil. Gregor. Gyraldi. XV. Id. Junii. Delphinus totus apparet: pro quo IV. Idus repoſuit Gregorius Berſmannus. Apud Ptolemæum VI. Junii: emergere incipit. Unde præſenti inſtituto nil convenit. Nicol. Leonicus ap. eundem Ptolemæum in ſtellarum errantium ſignificationibus VII. Idus Auguſti: *Delphinus oritur flante auſtro:* ζῳδίον μουσικὸν, non à numero ſtellarum (quia X. ſunt, non IX.) ſed quod Arionis harmoniâ delectaretur. Quæ ſanè omnia longius à Novembri diſtant. Propius ad partum illarum verno tempore occaſus ejusdem accedit. V. Non. Januarii ipſis Agonalibus delphinus oritur, & III. Cal. Februar. occidit, in Calendario Gyraldi, quod melius editum à Berſmanno, quam Thom. Dempſtero in IV. Roſini antiquit. Rom. c. IV. Nimis enim hæc variant, quam ut ἴσῳ τῆς ὀχείας χρόνῳ capris domeſticis

K vel

vel feris aptari queant, quin iſtis etiam ſiderum influxibus nequidquam neceſſe habeant. Imò nec illud Manilii Aſtronom. V. verſ. 441. ſemper experientiæ reſpondet, de illis, qui ſub Delphini ortum naſcuntur:

dabit Natura vigorem
Atque alacres curſus, campoque volantia membra.

His tandem addamus, quod Nicolaus Reuſnerus in leporario Paradiſi ſive Polyantheæ ſuæ Poëticæ pag. 108. minus vero, ut videtur congruum, adducit:

Parcitur in Rhætis ibex tibi, Panos amice,
Exornas quorum cornibus arma tuis.


Nec enim ulla argumentandi vis apparet, cùm multi principum, quorum arma & numiſmata Cervos atque alia animalia præferunt, propterea iſtorum venatibus nequaquam abſtineant: Neque Rhætos etiam id facere ſatis conſtat, in quorum diverſoriis carnes rupicaprarum & ibicum peregrinantibus apponi conſueverunt. At quod in nummis quibusdam argenteis Auguſti Cæſaris, Capricorni aut Ibicis effigies hodieque ſpectetur, ad geneſin illius pertinebat. de qua Suetonius XCIV. *In ſeceſſu Apolloniæ Theagenis Mathematici pergulam comite Agrippa adſcenderat: cùm Agrippæ, qui prior conſulebat, magna & penè incredibilia dicerentur, reticere ipſe genituram ſuam, nec velle edere, perſeverabat, metu ac pudore, ne minor inveniretur. Qua tamen poſt multas exhortationes vix & cunctanter edita, exſiluit Theagenes, adoravitq; eum. Tantam mox fiduciam fati Auguſtus habuit, ut thema ſuum vulgaverit, nummumq; argenteum notâ ſideris capricorni, quo natus eſt, percuſſerit.* Quo ſidere etiam nati ſunt Veſpaſianus Cæſar, ut quidam exiſtimant, & Coſmus II. Etruriæ Dux apud Andr. Argolum II. de decubitu in morbis. c. VI. quod ipſe Auguſti, ut videtur, imitatione, emblemate ſuo repræſentabat adjecto cornu Amalthææ cum dicto: fidem fati

virtute

virtute ſequemur: apud Vincentium Ruſcellum pag. 133. Carolus item V. Cæſar, cujus thema habemus, cum pluribus aliis auctore Petro Apiano, ex ſcripturis Achillis Gaſſeri, clɔ Iɔ d. XXIII. Febr. hor. XV. min. LIV. à meridie. Et Carolus Dux Borbonius clɔ cccc LXXXIX. d. XVI. Febr. hor. XIV. min. XL. à meridie latitud. XLV. qui poſtea clɔ Iɔ XXVII. d. XXVII. Maji, in expugnatione Romæ tormento ictus bellico occubuit. Et Selimus Turcarum Imperator, cujus thema nondum videre contigit. Egregium quoque eſt illud alterum Ferrantis Carraffæ Ducis Soriani apud eund. Capram ſilveſtrem ſub palma dictamnum carpentem exprimens ſagitta transfixam, cum titulo: *Hinc vulnus, ſalus, & umbra.* Quod tamen non de genitura illius, ſed de fortuna in oppugnatione Melitenſi interpretandum. Sed hæc nihil ad ægagropilos noſtros, de quibus iſta auctarii vice ſatis, dum aliquando fortaſſe totius animalis pleniorem deſcriptionem curioſius moliamur, ſi DEUS vitam, vireſque, & favorem illi, qui commodas ſcrutandi occaſiones ſuggerere poſſent. Sic enim cavebimus ne Pythio aliquo oraculo Αἰγιεῖς οὔτε τρίτοι οὔτε τέταρτοι, Ægienſes neque tertii neque quarti ſimus, quod è Tharræo & Didymo Cent. I. proverb. XLIV. Zenobius adducit. De cætero autem memores erimus illius Aali Chalifæ עסר אלמר מקדם אליסר: Difficultas præcedit facilitatem. In iſtis verò ſi quid alii errori obnoxium repererint, veniam nobis humanius dare non gravabuntur, illudq; Abu Iſmaëlis Medicinæ & Chemiæ ſcientia, ſcribendi elegantia, & eloquentiâ utraque cultiſſimi, in memoriam ſibi revocari haut inviti patientur:

לו אן פי סרף אלמאוי בלוג מני
לם תברח אלשמש יומא דארה אלחמל:

Quod ſi in celſitudine manſionis eſſet conſecutio votorum,
Non deſereret ſol unquam manſionem arietis.



L. B. S.

Cum in præcedentibus sæpius Alexandri Gattii poëma de venatu damarum, adduxerimus, quibus & rupicapras ac ibices, similesque feras complexus est, communi, & vetusta confusione etiam eruditissimis consueta, operæ pretium existimavimus particulam ejusdem Italicam heic subjungere, ut quantum paraphrasi nostra metrica Latina præstiterimus, aut quam aptè singula propemodum verba, sensumque exprimere conati simus, facilius intelligi queat ab illis, qui linguarum istarum genium penitius noverunt, usumque habent familiarem.

Libro II. Stanza. CXXXIII.

Ma che? peso non è da le mie braccia,
Ne può l' ingegno mio spiegar in versi
Le forme loro e la distinta faccia,
La patria, i nomi, e gli habiti diversi.
Poiche verso la meta ogn' hor mi caccia
La stanca Musa, à cui le labbra apersi:
E gia corron le damme á la campagna
Giù per la strari pevole montagna.

CXXXIV.

Molte de' quali han vaste corna e dure
Intanto, che de le gran membra illeso
Sovente, lor mercè, lancian sicure
D' una in un' altra rupe di grave peso,
Giust' allhor, che nelle strette alture
Il cacciator il colle è lor conteso
E per fuggir, dal diroccato sasso,
Co' l forte corno in giù tomano al basso.

CXXXV.

CXXXV.

Mà tosto fan ritorno in sù la vetta
Del discosceso è solitario monte,
E dove la via, che fù loro intercetta,
Cercan precipitar lo agili e pronte
Ei che se'l vede, ov' è più chiusa & stretta
Da' rami la montana horrida fronte.
S' attacca a' bronchi a' sassi e con gran cura
E con mani, e con piedi s' assicura.

CXXXVI.

Anzi l' ha tanto petto e se non teme
L' urtar del curvo impetuoso corno
De la strada più angusta il mezzo preme
Co' l forte piede ove fatt' han ritorno
E con non lungo acuto spiedo insieme
Mostra che dal cader sprezza lo scorno
Pensano intanto elle dubbiose allhora
Se l' assalto ò la fuga util più fora.

CXXXVII.

Tu pronto l' arco è la faretra prendi,
Trandone i più veloci eletti strali
E tosto in lor l acuta ponta intendi
Scoccando prìa ch' al piè giungano l' ali,
E fuggan la tra precipitii horrendi
Ove temon mirar gli occhi mortali
Che giunger le correndo ò d' hasta appresso
Ferirle ad alcun mai non fù concesso.

CXXXIIX.

D' inaccessibil rupe in mezzo vanno
Correndo si, come nel pian destriero
Per tanto ogni arte tua vano faranno

Se pria non chiudi loro ogni ſentiero
Onde quando à la fin correr voranno
Al giogo, che co'l ciel contende altero
D' inoſſervabil cava entro le braccia
Il deſio dj fuggir cader le faccia.

CXXXIX.

Chiuſe che ſien ſenza poterne uſcire
Tu per un lungo canape ti cala
A farne ſtrage, e non temer de l' ire,
O del furor, che per le nari eshala
Potraj di preda onuſto indj ſalire
E ritornar per la medeſma ſcala
Havendo pria le miſerelle eſtinte,
E da' compagni a ſalde funi auvinte.

CXL.

Ma forſe la lor forma e' affetti
Gran deſio di ſentir t' infiamma il core.
Eguali a' Cervi ſon, ma i velli infetti
Spiegan nel tergo lor vario il colore
Biondo hanno il ventre, i piedi, l' anche & i petti,
Queſti del bruno han più quei del pallore,
E foſco & hirto il doſſo e la ſua ſpina
Con l' una, el' altra mano, al nero inclina.

CXLI.

Di corno è il piè ſol in due parti feſſo,
Nata al corſo è la gamba alta, e ſottile,
Scende dal mento la gran barba, è ſpeſſo
A fiamma par il guardo lor ſimile;
Diſtinti nodi ha' l corno in cui rimeſſo
Di molte libre e' l peſo ancorche vile
In ſomma quel ch' à l' occhio noſtro ſ' apre
Diverſe non le fà da l altre capre.

CXLII.

Ma pria l' Oriental figlie d' Atlante
Vedrai ne l' Ocean tuffarsi a pieno,
Che del suo vago e desioso amante
Porti alcuna di lor gravido il seno:
Spiegherà poi l' aurato raggio avante
Il lume de le Pleiadi sereno
Che la concetta pargoletta prole
Esca da l' alvo à rimirar il sole

CXLIII.

Fuggon il verno e la gelata brina
Che l' erte cime à gli alti monti imbianca,
Quando da le sublimi alpi Lucina
Le chiama al bosco ove la nebbia manca:
Allhor dunque ch' al parto esser vicina
Sentesi ogn' una e per lo peso stanca
Là presso un rio, dentro a' muscosi sassi
Il secreto covil di fronde fassi.

CXLIV.

Con lei ne lo stesso antro alberga il dolce
Caro marito, e le ministra in tutto,
Partorisce ella intanto e chett a, e molce,
Del parto suo con grave poppa il lutto
Seco lo guida tra l' herbette, è folce
L' infermo piè, che non è al corso istrutto,
Ne pria, che nova fiamma il cor le accenda
Avenir suol, ch' a' noti monti ascenda.

CXLV.

Da che sogliono i maschi (appunto all' hora
Ch' a rivestir il suol Zefiro torna,
E dolcemente intepidita l' ora

Rende

Rende la chioma de le ſelve adorna,
Quando de' fiumi il pigro piede ancora
A ſeguir ſuo camm in ſciolto ritorna)
Salir le note in acceſſibil vette
Ed' altri in compagnia paſcer l' herbette.

CXLVI.

Pugnano inſieme all hor con forze eſtreme,
Che ſpende in lor le ſue quadrella amore,
E Citherea con l' amoroſa ſpeme
Aguzza dentr' al cuor l' ira e' l furore
E queſt 'ove del Po l' Alpi ſupreme
Verſan precipitoſo il largo humore
E del Reno e del' Iſtro ò di Fiſcello
Dov' abbraccia i dirupi ampio il Sabello.

CXLVII.

Anzi là dove Febo il ſuo Soratte
Difende è quando aggiorna, è quando imbruna
O pur là dove in largo giro fatte
Frondeggiano le ſelve di Vacuna,
Punto che ſia d' amor ogn' un combatte
Con tanta furia, e ſi gran forza aduna,
Ch' a' più robuſti giovani le coſte
Fiacca ne' tuſſi, e ne le piante oppoſte.

CXLIIX.

Ma non coſi feroci, e coſi ardite
Fà le capre ſelvagge amor è l' ira
Ond' inette han le corna à le ferite,
Perchè à le ſpalle la lor punta gira;
Con cui ne le più dure aſpre ſalite
S' attacca ogn' una ſi ſoſpende, & aggira
Han molte rughe, han varij nodj, e molti,
Ch' allungan mezzo piè, glj hamj rivolti.

CXLIIX.

Pascono à stuolo à stuolo, & al marito
Nele membra, e nel pel, simile ogn' uno,
Poiche d' entrambi il manto è colorito,
Di fosco, & han le pelle oscura, e bruna,
Che sparsa in molte parti, & d' un polito
Bianco, che non invidia à neve alcuna,
Quantunq; in ogni tempo, al caldo, al gelo,
Cangiano a certj dì colore & pelo.

CXLIX.

Cangi la primavera i giorni e l' hore,
Tolga a la state autunno il verde amanto,
Uccida il verno rio l' herbetta e' l fiore,
Esparga del suo horror pur ogni canto,
Fermino il piè de i fiumi, & al rigore,
Gelino pur d' algente bruma intanto,
Ch' elle sempre dal monte al pian verranno,
Là, dove nitro è sal le valli havranno.

CLI.

Mentre l' incaute al grato humore intente,
Che l' ostro e' l sol con maggior forza cuoce,
Lambendo vanno, il cacciator repente
Le ferisce co' strali, o con la voce,
A la cima del monte, ardua, eminente,
La caccia così ratto, e si veloce,
Che da scoscesa rupe, in mille guisa,
Fà traboccar le miserelle uccise.

CLII.

Ma quando il Sirio can più ferve, e bolle,
Onde arde il cielo, & par ch' il mondo auvampi,
Vaghe del bosco, ò d' un ombroso colle,

Abbandonan le valli, e i caldi campi,
Per goder la soave aura più molle,
E fuggir del Leon le fiamme e i vampj,
Temprano dunq; in troppo gravi ardori,
De' boschi, à l ombra, i solitarij horrorj.

CLIII.

Tra quaj perche (come per fama è noto)
Nodrir con liete poppe il gran Tuonante
In guiderdon de l' animo divoto,
Ch allhor mostrar tra le più folte piante,
S' il ferro maj d' acuto strale ignoto
Senton cacciarsi al fianco arco sonante,
Di tal virtù mostrò lor Giove un' herba,
Che tragge il ferro & l'egre in vita serba.

CLIV.

Di Lucina i dolori ancora molce,
E porger suol nel duro parto aita,
Poiche bevuto il molle succo, e dolce,
Sicuro il varco à questa luce addita,
E se diserra i chiostri, anco li folce,
Del sacro germe la forza infinita,
Usa cosi gran studio, e tanta cura,
Há d' ogni nostro ben madre Natura.

CLV.

La qual non solo à si bell herba impresse
Di tal virtù dono si raro e bello,
Mà tal ne diede ancò à le capre istesse,
Che gustate le foglie habbian di quello,
Che chiuder può quel ampie buche, è fesso,
Ch' il parto lascia nel materno hostello,
Anzi dal viso, e da' bei lumi offesi,
Toglie le macchie, ei nuvoletti stesi.

CLVI.

CLVI..

Dunq; se vuoi la bella donna mai
Acquistar gratia, e riportarne dono,
Quando alcune talhor prese n' havrai,
A che vaglia il lor uso, à che sia buono,
Baldanzoso le narra, e parti assai
A queste fà, che bisognose sono,
Se ben vagliamj il ver, fien poche escluse
Da tal bisogno, onde ne van confuse,

CLVII.

Và dunque là, dove il ginebro adombra,
Di fatiscoso monte erte le cime,
E la ginestra, e' l giunco, han commun l' ombra,
Nel più spinoso giogo, e più sublime,
O dove pur la molle herbetta ingomba.
I più fertili campi, e le valli ime,
S' appunto là quest' animal è avezzo.
Di goder nel meriggie il grato orezzo.

CLIIX.

Quando arde il sole, e d' ogni intorno cuoce
L' aria, la selva, la campagna, e' l monte,
L' importuno calor ch' offende, e nuoce,
Trapassa entr' un cespuglio, ò presso un fonte,
Ma quando al nostro ciel spuma veloce
L' alba, co' raggi suoi, da l' orizonte,
E quando cede à nera notte il gjorno,
A connosciuti paschi fá ritorno.

CL I X.

Ghiande la selva, e corbezzuoli ingrati
Le danno i dumi, e rustiche susine,
Le spine corniole, i boschi amati,

 Herbet-

Herbette ruggiadose, e matutine,
Le scorze, i bronchi, e i più cari & grati
Ruscelletti le dan l' onde vicine,
Quindi è che follemente al caldo, ò gelo,
Non cangia mai l' antica patria, ò Cielo,

CLX.

Mà chi sia mai, cui non ingombri il petto
Alto stupor, per quell' intatta fede,
Che serban queste fiere al casto letto,
E sempre inviolata esser si vede;
Poiche da quel cha per marito eletto,
Non torce mai la cara moglie il piede,
Ne scompagnarla può dal suo consorte,
(ò fè miracolosa) altri che morte.

CLXI.

Ne perch' à canto al vago ella soggiorni
Individua d' amor fida compagna,
Auvien però, ch insatiabil torni
A quel piacer, ch' ogni animal compagna.
Due volte sette notti, e sette giornj,
Sospira, e del suo amor dolce si lagna,
Appunto allhor, ch' in sen de l' oceano,
Và nel mattin la prole di Vulcano.

CLXII.

Estinta ch' habbia il natural desio,
Che destar suol ne' nostri petti amore,
Tosto del bosco in mezzo, ò dentr' un rio,
D' ambe le corna sue perde l' honore,
Ne l' ricovra pria, ch' il biondo Dio
Con l aureo crine accresca il giorno, e l' hore,
E di Friso il monton da l' alta spera
Apra con l' anno à noi la primavera.

CLXIII.

CLXIII.

Romita intanto in ſolitaria valle,
Mena ſua vita od in più chiuſo loco
E pregna al vago ſuo volge le ſpalle,
Cui già conſunto hà l' amoroſo foco,
Mà quando dale biade, ancor non gjalle,
Preſo han vigor i ſuoi gemelli, un poco
Lieta ritorna à riveder l' amico,
La cara patria, e il ſuo letto antico.

CLXIV.

Seco i pargoletti al padre mena
Agili à par di ſtrale, anzi del vento,
Feſtoſo ei la riceve, è viſta à pena
Mille volte la baccia in un momento.
E perchè rinovato hà il corno, e lena,
Già fatto, è lo ſquallor priſtino ſpento,
Acciò pompoſo allhor l' amica il veggia,
Si terge a maraviglia, è pavoneggia.

CLXV.

In ſieme a la paſtura indi ſe'n vanno,
Nel cupo ſen d' ombroſa valle, & intanto
Il Cacciator, dove più cieche ſtanno,
Le fraſche, ò d' erto ſaſſo, ò d altro canto,
Oſſerva quel ch' i ſemplicettj fanno,
E ſegna i lor veſtigj, e' l manto.
Addita agli altri dove util fora
Stender le reti, e chiuder ſtrade ancora.

CLXVI.

Intanto di Titon l alba abbandona
Il letto, uſcendo a riportarne il gjorno,
Quand' ei con giovanil lieta corona

Esce à la preda, e serra i varchi intorno;
Mà pria l'ufficio proprio à ciascun dona,
Ond'altri appeso al collo un cavo corno,
Altri pertiche, e forche, altri le funi,
Altri portan le reti, e strali alcuni.

CLXVII.

Ne ancor chi à lassa i can conduce, & certa
Di mostrar lor la desiata traccia,
I quai quando la fiera hanno scoperta,
Che verso 'l monte à più poter si caccia,
Empion la selva di latrati, e aperta
Mostran la via de la futura caccia,
La miserella fugge, e sparge intanto
Di bianco il pel de l'arricciato manto.

CLXIIX.

Mà benche nel fuggir l'aure trapassi,
E stanchi anco duo can sovente renda,
Al loco, onde partì, stendendo i passi,
Tosto ritorna, è par ch' ajuto attenda,
Dal patrio nido, e da gli duri sassi
Che le fur letto, è culla, animo prenda,
I quai però non abbandona pria
Che vegga al suo fuggir chiusa ogni via.

CLXIX.

Onde per lo timor di morte allhora
Par, che giunga à le piante anco le piume,
E dentro a' berghi, e ne ville ancora,
Timidetta d'intrar hà per costume,
Talhor s'asconde, ove di rami ogn'hora
Nuota una selva in vivo lago ò fiume,
E come non havesse ò moto, ò fiato,
Non scuote fronde, ancorc' hai cani da lato.

Hæc

Hæc ita nos latinè per otium reddidimus.

CXXXIII.

Quid dicam? graviora humeris ſunt pondera noſtris,
Nec verſu ingenium cuncta referre poteſt.
Seu faciem ſpectes, variasque in corpore formas,
Seu patriam ac habitus nomina plura ſui.
Ad metam quoniam tendit mea Muſa, cupitque
Laſſatis tandem feſſa ſilere labris.
Sed jam conſpicio pavidas decurrere damas,
Ut citra ripas florida prata petant.

CXXXIV.

Illarum plerisque adeò ſunt cornua vaſta,
Et dura, illæſæ ut grandia membra ferant.
Quorum ope non rarò vibrantes corpora cernes,
Inque alium adverſa rupe ſalire ſpecum.
Quin etiam obſeſſos cùm nôrint undique colles,
Venantum ſtudijs, implicitasque vias,
Ut fugiant infida nimis præruptaque ſaxa,
In loca ſubnixis cornibus ima ruunt.

CXXXV.

Mox tamen ad ſuperum redeunt per devia montem,
Quà magis acceſſu difficilem eſſe ſciunt.
Atque interceptæ, anguſto de tramite, rurſus
Non ceſſant agiles præcipitare gradus.
Sic ubi clauſa vident lapidum ſtruice omnia, ſæpè
De ramis pendent, quà nemoroſa jacent

Aut

Aut truncis saxisque adfigunt corpora, magna
Cura habet, ut firmos ponat utrimque pedes.

CXXXVI.

Tanta illis, & tam sunt fortia, pectora, curvis
Ut ni formident cornibus impetere.
Quo magis angustum est, medio tutissima librant
Et validos figunt in redeundo pedes.
Ostenduntque simul non longâ, at cuspide acuta,
Quàm spernant casus cuncta pericla sui.
Et tanquam dubiæ meditantur, an impete præstet,
Irruere, aut tutâ proripuisse fugâ.

CXXXVII.

Tunc arcum actutum, gravidamque adsume pharetram,
Tunc velox volucri dirige tela manu.
Et prius adversis subitò mucronibus insta,
Quàm possint alas jungere fortè pedi,
Aut fugere, & summa jactare crepidine corpus,
Altius obtutus quàm ferat illa tuus.
Nam cursu superare unquam, vel cominus hasta
Haut istis licuit, crede ferire locis.

CXXXIIX.

Non aliter velut acer equus per plana cucurrit,
Sic illæ excelsa rupe salire solent.
Ut nisi cuncta prius dumeta, atque aspera claudas,
Eludant artes omnia, spemque tuam.
Quin etiam quando juga celsa, minantia cœlo,
Conscendunt timidæ, corripiuntque fugam.
Cura evadendi, & non exorabile fatum,
In manus efficiet sponte venire tuas.

CXXXIX.

Mox ubi conclusas jam videris undique, longis

Demissus

Demiſſus laqueis inferiora petes,
Ut ſtragem facias. Nec formidaveris iras,
Quas ſpirare feræ nare ab utraque ſolent.
Sic præda tandem repedabis onuſtus, eodem
Quo revolutus eras, fune redire potes,
Si miſeras vitâ exueris prius, atque deinceps
Venantum ſociâ membra ligâris ope.

CXL.

Scire cupis forſan, quanam illis corpora formâ
Obtigerint? dicam, tu modò dicta cape.
Cervorum exæquant ſpeciem, ſed tergora pictis
In dorſo maculis verſicolora gerunt.
Ventre pili & coxis, pedibusque, & pectore toto
Flaveſcunt, tamen hæc pallidiora putes.
Illa obſcura magis, dorſumq; hirſutius, atro
Parte ab utraq; ferè ſpina colore nitet.

CXLI.

Ungula diffiſſu his eſt cornea ſecta biſulco,
Alti, & ſunt graciles curſibus inde pedes.
Grandis, & hiſpidior mento dependet aruncus,
Flammeus obtutu lumina ſplendor habet.
Non uno diſtincta gerit quoque cornua nodo,
Queis plura haut rarò pondo ſtatera probat.
Ut paucis referam, cuncta hæc quæcunq; videmus,
Haut multum à reliquis ſunt variata capris.

CXLII.

At prius adſpicies gnatas Atlantis Eoas
Oceani totum mergere corpus aquis,
Quam pulcros ulla heic cupidosq; relinquat amantes,
Et pleno abſcedat, jam ſaturata, ſinu.
Cùm ſeptem geminis exſurgent Plejades aſtris,

M Et

Et ſpargent radios ſidera verna ſuos,
Conceptam tandem videas emittere prolem,
Atque alvo in lucem parturiente rapi.

CXLIII.

Ingratas fugiunt hiemes, gelidasque pruinas,
Cùm denſæ inſternunt culmina ſumma nives.
Sublimis Lucina etenim tunc devocat altis
Alpibus, ad ſilvas, queis nebulam eſſe negant.
Ergò omnis quæcunque ſuo ſe pondere laſſam, &
Sentit vicinum partubus eſſe diem,
Muſcoſo efformat ſecreta cubilia ſaxo,
Haut procul à rivi deproperantis aquis.

CXLIV.

Hoc antro invitat ſecum recubare maritum,
Adſit ut infirmæ ſæpè miniſter opis.
Interea tacitum luctum gravis ubere mulcet,
Dum teneros fœtus parturit illa ſuos.
Quos ſenſim ſecum ad plantas & paſcua ducens,
Firmat inadſuetos currere prima pedes.
Nec prius ad notos reditura adſcendere montes
Cernetur, pectus quam nova flamma ſubit.

CXLV.

Tunc etenim, Zephyris blandas mulcentibus auras,
Læta reveſtiri gramine terra ſolet.
Suaviter adridens, ventis tepidantibus ora,
Ornatas ſilvis reddere ſueta comas.
Flumina tunc etiam vinclis non pigra ſolutis
Labuntur, faciles pergere docta vias.
Tunc mares repetunt excelſa per avia rupes,
Et paſcunt, multo ſe ſociante grege.

CXLVI.

Viribus extremis in ſe pugnare videbis,
Rivali cauſam dat maleſuadus amor.
Et Cytherea furens dum ſpes alit acris amantes,
Exacuitque iras corde ſilente furor.
Illic quà largi liquidos decurrere Padi
Fontes, & celeri ſcis ruere ipſe gradu,
Naſcentisq; Iſtri, & tenuis primordia Rheni,
Quæque Faliſcorum teſqua, Sabelle, tenes.

CXLVII.

Quaq; tuum pulcrè Soracten, Phœbe, tueris,
Sive feras noctes aëre, ſive dies.
Aut ubi frondentes exporrigis ante Vacunam
Silvas, ingenti cingitur orbe nemus.
Quisqnis amore ardet, pugnis audacior infert
Cornua, & adverſos non ſine bile ferit.
Sæpius ut juvenum robuſto verbere coſtas,
Plantasq; effringant ictibus oppoſitas.

CXLIIX.

Irâ & amore vides armari in prælia tauros,
Sed minor agreſtes efferat illa capras.
Vulneribus Natura dedit minus apta profundis,
In tergum innocuo cornua flexa ſitu.
His tamen, ut ſcandunt ſcopulos, atque aſpera teſqua,
Pendentes ſaxis corpora fixa rotant.
Rugoſa, & multum hæc annoſis aſpera nodis,
Dimidiumq; pedem mucro reflexus habet.

CXLIX.

Paſcitur, & membris æquata pilisque marito,
Conjunctim ſocio femina quæque ſuo.
Pelle colorata eſt, latere obſervatur utroque

Obſcuro, & fuſco, tincta colore cutis.
Sic tamen, ut variis quoque ſtigmata partibus illàc
Eniteant, primâ candidiora nive.
Quantumvis certis hieme, ac æſtate, diebus
Immutetque pilos frigus, & inde calor.

CL.

Verna licet facies transformet tempus, & æſtas
Auctumno perdat deripiente decus.
Triſtis hiems flores etiam trucidet, & herbas,
Algensque horrorem ſpargat ubique ſuum.
Aut rapidos teneant fluviorum frigora curſus,
Conſtringatq; rigens omnia bruma gelu.
Plana tamen petere & deſcendere monte videbis,
Quà ſalibus valles quaque aphronitra ſcatent.

CLI.

Incautæ latices dulces ſectantur, & auſtris
Æſtivis calidas, ſole coquente, bibunt.
Dum linctu ſeſe oblectant, mox tela repente
Venator torquet, vulnerat, atque necat,
Vertice vel ſummo ingenti clamore paventes
Deturbat, ſaltu ut præcipitante ruant.
Aut interfectas miſeras de rupe cadentes
Pergit mille aliis exagitare modis.

CLII.

Aſt ubi fervente exardeſcit Sirius æſtu,
Totoque effumat flammeus orbe Vapor,
Umbroſum nemus & ſilvoſos quærere colles
Incipit, & campi linquere aprica ſolet.
Ut molli liceat gaudere & ſuavius aura,
Quæque tenet, fugiat, fervida ſigna leo.
Sic igitur nimis illa graves contemperat æſtus,
Umbrâque, & ſilvis horridulisque locis.

CLIII.

Et quia (fama diu jam vulgo est nota) Tonantem
Uberibus lætis heic aluêre suis,
Inque animi sacris devoti præmia, qualem
Inter odoratum monstrat habere nemus,
Si ferrum lateri, fixasque hærere sagittas
Arcu sentiscant fortè sonante capræ.
Illis tam validam monstravit Juppiter herbam,
Quæ mox letifero vulnere tela trahat.

CLIV.

Pergrata hæc Lucinæ eadem, partusque dolores
Mulcet, difficiles expedit, addit opem.
Si succus teneræ, dulcisque sapore, bibatur,
In lucem fœtus tutior ire potest.
Claustra aperit, firmatque eadem quoque germina sacra,
Immensas vires præstat, & auxilium,
Tam curis adsueta suis, studiisque, benigna
Natura intendit mater ubique bonum.

CLV.

Nec contenta istas miro conamine vires
Impressisse herbæ, raraque dona suæ,
Nequid deficiat, capris concessit easdem,
Dum folia admorsu carpere sæpè solent.
Hac rimas explent, conscissaque membra resanant,
Quas partus teneris intulit ante locis.
Quin acuit visum, maculas nebulosaque pulcris
Blandior extergit stigmata luminibus.

CLVI.

Si te fortè igitur formosæ gratia amicæ
Sollicitum tenet, ac imperiosus amor,
Cùm tu venatu nonnullas ceperis, ipsi

Sermone enumera ſuavius illa tuo.
Quaſque habeant dotes, & quis ſit certior uſus
Enarra, multum hic nam quia ſexus eget.
Et paucæ excludi, liceat ſi vera fateri,
Hinc poterunt, quorum ſæpè pudere ſolet.

CLVII.

Huc igitur tendunt, quà denſa cacumina montis
Juniperi horrentis gratior umbra tegit.
Quaque geniſta caput medijs circumſita juncis
Erigit, ac ſpinas inſerit alta jugis.
Aut ubi ſe campos vallesque effundit in imas
Fertilis, & tenera mollior herba coma.
Iſta quieſcendi quærunt loca, ſolis ab ortu,
Hac notâ feſſæ meridiantur humo.

CLIIX.

Cùm verò ingentem cœlo canis evomit æſtum
Silvam, auras, montes, prata calore coquens.
Noctem importunam prudens ſufferre recuſat,
Ad fontes viridi ceſpite tecta latet.
Cùm tamen aurora ex æthra deſpumat, & ortum
Illuſtrat radijs aurea mane ſuis.
Cumque dies pullæ paullatim cedere nocti
Incipit, actutum ad pabula nota redit.

CLIX.

Chaonias ſilvæ heic glandes, ac arbuta præbent
Ingratum dumi ruſtica pruna cibum.
Corneolas ſpinas, memorisque receſſus amati
Mille alit, & vapido germina rore rigat.
Succreſcunt teneris virgulta agreſtia ramis,
Et late pandit brachia verna frutex.
Lucidus heic amnis placidis demurmurat undis,
Cur mutent patrij commoda tanta ſoli?

CLX.

CLX.

Nec fieri poterit, quin pectora tacta stupore
Attineat, si quis noscere fortè fidem,
Ac spectare velit casti connubia lecti,
Quæ semper servant intemerata sui.
Nam semel electum nunquam sua amica maritum
Deserit, obliquo vel malè tracta pede.
Proh superi! constans tolerat divortia nulla,
Et benè cœptus amor non nisi morte perit.

CLXI.

Quantumvis multum capiat præstantia formæ,
Fida indivisi compar amoris erit.
Nec tamen idcircò nimium insatiata libido est,
Quaque voluptatem cætera bruta trahunt.
Bis septem cum nocte dies suspirat, amoremque
Amissum gravibus luctibus insequitur.
Tempore nimirum, quo se Vulcania proles
Mane sinu vasti mergit in Oceani.

CLXII.

Tùm desiderium postquam restinxerit illud,
Quod Natura animis ingenerare solet,
Mox medijs silvis, aut circa flumina oberrat,
Atque ablatus honor cornu utriusque perit.
Nec prius hæc recipit, quam cùm crinitus Apollo
Horas producit lætior, atque dies.
Convexaque aries cœli exsplendescere sphærâ
Incipit, ac annus vere rubente redit.

CLXIII.

Vallibus interea semotis sola vagatur,
Deserto adsuescens degere clausa loco.
Atque suo prægnans se dorso obvertit amato,

Consump-

Consumptus postquam hic ignis amoris erat.
Cùm verò gemini inde suum cepêre vigorem, &
Nondum flavescens mergite messis erit,
Tum veterem rursus lætando revisit amicum,
Antiquos repetit tunc patriósque lares.

CLXIV.

Adducitque suo jam pignora docta parenti
Fulmina, vel ventos exsuperare leves.
Hanc multis cum blandicijs prolem excipit, atque
Momento figit basia mille suæ.
Et quia deterso tandem squallore priori
Succrevêre novis cornua germinibus,
Ut se pomposam conspectu advertat amicus,
Tergitur ipsâ sibi, seque superba comit.

CLXV.

Tunc simul ad pastus contendunt passibus æquis,
Seu placeat valles, seu mage summa sequi.
Abditus interea saxis obliqua tuetur
Venator, tacitas insidiasque struit.
Observans quid agant stolidæ, vestigia signat,
Ac animos spectat, corporeosque modos.
Mox socijs dat signa suis secura, docetque
Queis liceat melius tendere rete locis.

CLXVI.

Ac ubi Titanis thalamos aurora relinquens,
Jam reddit pulsâ splendida nocte diem.
Cum multa juvenum prodit stipante caterva,
Capturus patulas claudit ubique vias,
Munia quæque priùs socijs tamen omnibus ipse
Distribuens, alium cornua ferre jubet
Rauca sono, ac alijs furcas cum funibus, atque
Contis imponit, retia, tela, plagas.

CLXVII.

CLXVII.

Nec loris qui forte canes deducat odoros,
Optatas prædæ ſpes faciatque, deeſt.
Tunc latebris hinc inde feras indagine pulſas,
Ne ſecura queant montis adire, vetat.
Latratu replent lucos, venatibus aptos,
Atque ſequuturis ſic via prima patet.
At miſeræ fugiunt damæ, atque horrentia ſetis.
Porriciunt trepido tergora tenſa metu.

CLXIIX.

Ut fugiant tamen usque pares pernicibus auris,
Atque canes laſſet ſæpius una duos.
Mox tamen, unde abiit, haut æquis paſſibus, illac
Ipſa redit, tacitam ceu ſibi quærat opem
A patrio nido, durisque per avia ſaxis,
Quæ lectum, & cunas commeminêre ſuas.
Non illas adeò deſperans deſeret unquam,
Quam loca conſpiciat nulla patere fugæ.

CLXIX.

Extremo mortis perculſa horrore videtur
Tanquam alas plantis jungere velle ſuis
Sæpè etenim villas, gurguſtiaque adſita ſilvis,
Ingreditur, ramis abdita ſæpè latet.
Sæpe etiam rigidosque lacus, fluviosque natatu
Vicinos ſuperat tuta, petitque nemus.
Ac anima velut emiſſa omni immota quieſcit,
Nec frondes, canibus proxima præda, mvet.

ET hoc quidem Gattij poëma de damis, quibus & rupicapras comprehendere voluit, ut nos quidem putamus, ſunt enim quæ Cervino generi non ſatis conveniant, ſunt etiam viciſſim

alia quæ de venatu ibicum & rupi capraru͂ vere dici non possunt. Quibus jungamus descriptionem præcipuorum periculorum, quæ olim gloriosissimæ memoriæ Imperator Maximilianus I. Cæsar adsectatione rupicaprarum adierat, ac ipse cum pluribus aliis Germanicê descripserat, rhythmis non quidem magnificis, sed pro ætate illa nequaquam contemnendis. Quamvis enim nonnulli quendam à Consiliis, è familia patricia Noricorum, auctorem prodiderint, ipsummet tamen ejusmodi rhythmorum extemporali facultate polluisse satis ex quibusdam aliis apophthegmatibus constat, & ipsiusmet nomine, non alterius, inscripta exemplaria gemina elegantissima in membranis, appictis etiam figuris servantur Oeniponti in Bibliotheca Archiducali Ambrasiana quæ nunc, nî fallimur, in Augustam Vindobonensem translata. Imò nec alius videtur *liber experientiarum*, quem Jacobus Spigelius alicubi citat, & Jos. Simlerus ac J. Jac. Frisius in Bibl. Gesneri auctiori recensent. Rerum quoque à se gestarum nomine adducit Bilibaldus Pirkaimerus, eumque sequutus Jo. Carion in Chronicis. Quid quod & ipse optimus Imper. præter institutionem Petri Engelberti, viri doctissimi, eruditos perpetuo plures familiares habuerit, inter quos eminebant Jo. Cuspinianus, Jo. Manlius, Jo. Nauclerus, Ladislaus Sunthemius, Georgius Collimitius Tanstetterus Med. & Mathematicus, & ex nostratibus Conradus Peutingerus, ICtus eximius, Archivis præfectus, & antiquitatis studiosissimus, cujus vestigia in ædibus quondam suis hodieque supersunt, quem postea & Carolus V. à consiliis sibi constituit, postquam gravissimis pariter ac brevissimis orationibus patriam cum reliquis urbibus vicinis à devotione exorbitantem reconciliârat, ut mirum sit eum à quibusdam in doctorum virorum, illius ætatis, numerum relatum non esse, cùm tamen antiquitatum descriptionem in publicum edens Matthæo Lango præposito Augustano, & deinde

inde Cardinali, rarissimæ eruditionis, amicissimè nuncupârit. Amabat etiam Maximilianus, & sæpius ad se vocabat, inprimis cùm Augustæ degeret, virum religiosum, Sigismundum Gossenbrotium, è patricio genere, pereruditum & historiarum peritissimum, nec enim qui Grossenbrot appellant, quod apud Ger. Jo. Vossium videre licet, audiendi sunt, quando nostratibus inter familias superioris ætatis nobiliores, quæ defecerunt, etiam Gossenbrotii satis cogniti sint. Librum quoque *de Natura quorundam animalium* eundem Imperatorem scripsisse refert Gerardus de Roo HX. histor. Austriacæ, qui tamen nunquam editus, nec ulli, ubi lateat, quod sciamus, notus, fortasse jam dudum omninò periit. Nomen verò illius, quem nos diximus, ab Heroë quodam desumptum, antiqua Germanorum loquendi consuetudine: Thewrdanck/ dicto, tanquam multæ gloriæ, excelsæ virtutis, summique honoris dixeris, unde nos Græco vocabulo *Hypsotimum* reddidimus, metri causa. Hunc autem trium, ut vocat, Centurionum consiliis usum, multa curiosius, audacius, & periculosius egisse non tam fingit, quam verè commemorat: primum quidem *curiosum* appellans, quem nos *Philopleustum* interpretamur, alterum *infortunatum*, quem *Atychen*, & tertium *invidum*, quem *Epiphthonum* vocamus. Venatorem etiam quo subinde in periculosissimas crepidines & anfractus alpestres deductus est, *Cephalum* diximus, ea libertate, quam nulli in talibus negamus. Hos tandem malevolentiæ, & scelerum, convictos supplicio adfectos narrat, illum quidem capite plexum, istum suspendio punitum, hunc verò in præceps actum, sive defenestratum, ut alicubi ICti loquuntur. Atque sic superatis tot fortunæ adversis, non tantum per venatus, sed etiam insidias, incendia, latrocinia, ludos equestres serios, non umbraticos, excursiones hostiles, arcium urbiumque oppugnationes, & prælia, magno numero exantlatis laboribus, tandem conjugio

N 2 sibi

ſibi junxiſſe narrat *Reginam virtutum, honorum ac gloriæ divitem*, quam nos iccircò *Doxopluſiam* nominavimus, ut ſingula adducere nimis prolixum foret. Inter illa tamen, quæ perſequendis inprimis rupicapris acciderunt, præcipua ſunt, quod aliquando muſcoſa rupis planicie murices, ſive calcaria ſcanſoria, ſub pedibus abſceſſerint, ut uno tantum mucrone infixo ſtationem firmàrit, ægerrimè periculo exemptus, atque hoc ipſo valdè incurvato: quod conto prælongo, Belgarum ritu, ſaltum altiſſimo alpium jugo meditatus ſit, niſi à venatore peritiori admonitus fuiſſet, extremum diſcrimen adjiſſet: quod aliquando nive compactâ & per prærupta ſaxa devoluta propemodum obrutus fuiſſet, adeò accreſcente, ut media jam via inter cadendum integrum oppidum obtegere potuiſſet: quod ingens ſaxum devolutum pileum capite decuſſerit, ipſo tamen illæſo: quod pluvio tempore emotis lapidibus, & vacillantibus, tandemque etiam delapſis, calcari utroque ſcanſorio decuſſo, à caſu tamen agilitate corporis liberatus fuerit, aliaq; plura, quæ ibidem videri poſſunt. Omnium verò graviſſimum & maximè memorabile, quia præſenti DEI auxilio, tanquam miraculo, evaſit, cujus priori diſſertatione obiter meminimus copiosè deſcripſit Steph. Vinandus Pighius in Hercule ſuo Prodicio. Nos tria alia ex vernacula ſic tranſtulimus.

I.

Hypſotimum Cephalus muſcoſa per ardua montis,
Rupesq; excelſas ducere doctus erat.
Ibat, & in manibus contum geſtabat acutum,
Ictibus hic aptus, ſaltibus aptus erat.
Caprea prærupto pendebat pariete, durum
Horridus acceſſum fecerat ipſe metus.
Magnanimus tamen ille ſibi turpe eſſe putabat,
Ni caperet, celeri dejiceretq; manu.

Undique

Undiq́; tentabat reptando advolvere gressus,
Exiguùm tandem repperit esse locum,
Quo tamen innixus temerè pede constitit uno,
Alterius plantam dum per inane rotat.
Percussitq́; feram validâ, quam pertulit, orno,
Percussa in vallem præcipitata ruit.
Vix binos spatium digitos excedere visum est,
Tam propè se leto sensit abesse suo.

II.

Juratis Atyches servis præceperat: Ite,
Et facite, ut nôstis, tempore quæque suo.
Ventus erit, motâ jam sic promittitur aurâ,
Intutum hoc semper scandere summa fuit,
Cùm quatiet gelidas iterato verbere cautes,
Hora erit audacem tunc monuisse virum.
Multaq́; pollicitus scelerati præmia facti
Et vanæ plenos jusserat ire spei.
Nec mora per scopulos comitem duxêre minaces,
Ac nimis angustis adstituêre viis.
Flatibus horrisonis mox undique personat aer
Cùm quidam illorum callidus ore vocat.
Huc agite, inclamans, quà nunc consistimus, eja
Huc agite, hoc saxo capra superba sedet,
Inferiore quidem, sed vos decurrere longis
Perfacile est hastis, credite, perfacile est.
Attamen impavidus saltum meditatur ut Heros,
Conto elapsurus mox velut ante suo:
Sublimem mediâ ventus vehementior hastâ
Sustulit, & præceps jam ruiturus erat.
Nî se mox agili jactu librâsset in orbem,
Et quâ decessit mox repetisset humum.

Armatosq́ pedes ferro fixisset adunco,
Quo sine non licuit certior ire gradus.
Instanti eripuit vicinum pertica morti, &
Fraxinus in teretes arte dolata modos.
Ocyus hoc ergò advertens prudentior alto
Culmine descendens, dum parat ire domum.
Sæpius infidæ reputabat lubrica sortis,
Quàm pronum est manes accelerare suos!

III.

Pendentes Atyches capreas cùm rupe videret,
Lætior Hypsotimo talia dicta dedit:
En tibi, quam pulcrè præda hæc offertur, & ictus
En, ait, exsultans ambit ut ipsa tuos!
Arripe ballistam, nervoq́ appone sagittas,
Et trepidam saxo dejaculare suo.
Audiit. Actutum cedò puer impiger arcum,
Jam caper hic certo vulnere noster erit.
Proximus adstabat multo spectatus in Herum
Antiquæ fidei servus amore suum.
Oro, ait, Here preces noli contemnere nostras,
Nec pigeat telis abstinuisse manus.
Nam fera, si volucri figatur arundine pectus,
In nos præcipiti saucia mole ruet.
Impelletque suo secum nos pondere cunctos.
Et simul in vallem detrahet inde cavam.
Aëreæ nudo lapsuris tergore rupis
Nil quidquam, cernis, quo teneamur, erit.
Ast Atyches contra ficto incandescere risu,
Eminus hortatur spargere tela virum.
Quis verò ingeminans, quis tanto dixerit ausu?
Venturam haut aliis, dum cadit, esse viis.

Proti-

Protinus Hypsotimus poscit commotior arcum,
Et ferrum in pavidam dirigit arte feram.
Protinus excedens Atyches sese abdidit, antri
Vicini ut latebris tutior esse queat.
Excutit Hypsotimus nervo impellente sagittam
Et mediam volucris fixit arundo capram.
Exanimata cadit subitò, subito impete magno
Cædis in auctorem volvitur ipsa suæ.
Nec multũ hinc aberat, quin deturbâsset eundem,
Auxilium præsens sed tulit ipse DEUS.
Exstanti adlisa est silici, dum prona cadebat,
Et superexsiliens per caput alta ruit.
Multum erat, inferius nullum tetigisse tuentûm:
Fortunam hoc doceat legibus ire DEI.

Nimirum prudentiæ est, non quorumvis hortatibus moveri, aut consiliis obsequi, quia in universa hominum vita multum occultæ & municipalis æruginis animis insidere solet. Quò pertinet ille Chabriæ apologus quem J. C. Capacius in Italicis suis §. LXXXIIX. de leone & capra eleganti circumscriptione proposuit, nos Latinum coronidis loco apponemus:

Montibus errabat quondam pascendo, cibumq;
Quærebat celsa rupe capella suum
Fortè superueniens stabat procul horridus alvo
Jejuna, vacuis visceribusque leo.
Miror, ait, summas cur te juvet ire per alpes,
Cum florem & frondes proxima prata ferant.
Quin potius saxis ad nos descende relictis.
Atque herbas humili carpe quieta loco.
Pulcrum est consilium respondit capra sed ille
Qui dedit, haut omni suspicione vacat.

FINIS.

INDEX I.

Eorum qui nominantur, laudantur, emendantur, illustrantur.

Alex.

O Ebn

Homeri

Sextus

INDEX. II.

Rerum & verborum.

Albar-

Calenda-

P Capril-

Colur-

Fermenti

Jovis

Luce.

Nieuhoa-

 rupica-


bus

Q 2 Mechua-

Ταβιθὰ,

FINIS.





3ff., 71 (11) pp, 3 plates,
3ff., 101 (23) pp 4 plates.

